CODEX DIPLOMATICUS

Aquensis.

EDITUS

a

CHRISTIANO QUIX,

Professore et Bibliothecario urbis.

TOM. I. PARS I.

Aquisgrani sumptibus Editoris 1839.

Bemerkung.

Die Urkunden des Codex diplomaticus aquensis sind theils nach Originalien theils nach vidimirten Copien genau und treulich abgedruckt worden.

Wer auch nur eine oberflächliche Kenntniss von Urkunden besitzt, weiss, dass die Sprachrichtigkeit derselben, von der Jndividualität der Anfertiger abgehangen hat. Besass einer nicht hinreichende Kenntniss der Sprache, in welcher die Urkunden angefertigt wurden, so konnte es leicht geschehen, dass sich grammatikalische und orthographische Fehler einschlichen. Diese zu berichtigen, steht dem Herausgeber gar nicht zu, dessen unablässliche Pflicht es ist, die Urkunden so zu geben, wie er sie vorfand, sonst würde manchmal die Glaubwürdigkeit derselben beeinträchtigt. Um den Codex diplomaticus so vollständig wie möglich zu machen, sind ein Paar Urkunden mitaufgenommen worden, die in andern voluminösen Werken schon gedruckt sind.

Die eingeschlichenen Druckfehler sind von der Art, dass sie gleich jedem in die Augen fallen

Liber Privilegiorum

ECCLESIÆ REGALIS B. M. V. AQUISGRANI. [1]

Privilegium KAROLI regis dharimala, budil. filfort etc. v. 779.

I.

Karolus gratia dei rex francorum et longobardorum ac patricius romanorum, ad mercedis cumulum augere credimus. quicquid pro amore dei et reuerentia sanctorum locis uenerabilibus confirmamus, jgitur nouerit omnium fidelium nostrorum magnitudo eo quod inclite memorie proauus noster pippinus quondam maior domus ecclesie ste. marie nouo castello constructe diuersis rebus pro mercedis augmento dedisse. unde seruientes eiusdem loci consolationem substantie usque nunc uisi sunt habere. perpetuoque tempore ipsas res quieto ordine possidere uidentur. sed asserit uenerabilis uir Ermenhardus abbas. quod de ipsis rebus nullo munimine aut strumenta cartarum pene se habeant per que ipsas res sine nostra auctoritate legibus defendi possint. jdcirco petijt celsitudini nostre ut per nostram preceptionem quantumcunque infra regna deo propitio nostra tamque proauus noster ibidem in eius elemosina uisus est condonasse quam et ceteri deo timentes homines inpostmodum addiderunt que possidere uidentur denuo confirmare deberemus. Cuius peticionem nolumus denegari sed ita concessisse atque confirmasse cognosci et precipientes enim ut quicquid iuste et rationabiliter in denominandas uillas. id sunt Harimala. in pago hasbaniense Budilio. in texandria. Filfurdo. in bragbando. et in pago haginao- hrinio. hriniolo. chuinegas. et illa ecclesia in uualderiego. simulque achiniagas et altporto quas in concamio pro auuanha receperunt et aliquos mansos in angelgiagas in pagello leuchio quem similiter in concambio pro pratis de ecclesia sti. seruatij commutauerunt nec non in pago lominse fraxino. hec omnia denominata ut supradiximus id est una cum ceteris domibus. edificijs. ac colabus. mancipijs. uineis. siluis. campis. pratis. pascuis. aquis aquarumque decursibus. mobilibus et inmobilibus. totum et ad integrum cum omnibus appenditijs. uel adiacentibus earum. qualiter presenti tempore ipsa ecclesia eiusque rectores possederunt. quantumcunque prenominatus auus noster ibidem condonauit. aut ceteri deum timentes homines in postmodum adderunt. unde uestiti esse uidentur. deinceps in antea absque ullius inquietudine omni tempore teneant et possedeant. et nullus quislibet de fidelibus nostris aut de iudiciaria potestate. prefato ermenhardo abbate suisque successoribus de memoratis rebus inquietare aut contra rationis ordine facere presumat. sed liceat eos cum dei et nostra gratia nostris et futuris temporibus per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo possidere quatenus melius delectet ibidem deo seruientibus pro nobis atque prolis nostris et uxore et pro animabus parentum quondam nostrorum dni. misericordia attentius deprecare. Et ut hec auctoritas firmior habeatur. uel diutius temporibus conseruetur manu propria subtus eam decreuimus roborare. et de anulo nostro iussimus sigillare.

Signum Karoli gloriosissimi Regis. Vuigbaldus ad uicem Radoni recognouit. Data. v. nonas mai. anno undecimo et quinto regni nostri. Actum Haristallio palacio publice. in dei nomine feliciter. amen.

---

1) Ein Volumen von 28 Pergament-Blättern in 4to von einer und derselben Hand am Ende des 12ten oder Anfangs des 13ten Jahrhunderts zierlich geschrieben, das 40 Privilegien der Kirche enthält.

Privilegium LOTHARY jmp. de Harimala et bodilio et filfurt etc. 844.

2.

In nomine dni. nostri ihesu cristi dei eterni. Lotharius ordinante diuina prouidentia. imperator augustus. Oportet imperialem sublimitatem. ut ecclesiarum ac sacerdotum dei utilitatibus benignitatis sue munere faueat. quia si talibus semper studet negotijs procul dubio et temporalem gloriosius transiet uitam. et eternam felicius obtinebit. Qua propter nouerit omnium fidelium ste. ecclesie ac nostrorum tam presentium quam futurorum industria. quia uir uenerabilis Lotharius abbas. cui cellulam in honore ste. dei genitricis marie constructam ac fundatam in loco nuncupante nouo castello ad regendam commissam habemus. detulit obtutibus nostris quasdas domni aui nostri Karoli prestantissimi augusti. ac pie memorie genitoris nostri Ludowici. serenissimi imperatoris auctoritates in quas repperimus qualiter ipsi ob amorem dei. et reuerentiam ipsius sti. loci eandem cellulam cum omnibus ad se iuste et legaliter pertinentibus. uel aspicientibus consistere facerent et eorum immunitate actenus predicta cellula munita atque defensata fuisset. Continebatur etiam in easdem preceptiones nomina uillarum que predicte cellule subiecte sunt. jd est in pago hasbaniense harimalla in pago. Texandrio. bodilio. in pago brachantense. filfurdo in pago hainense hrinio. hriniolo. kuineias. uualdriaco. aginiagas. et altoporto. in pago laumense fraxino. et in pago lenkijo in uilla angelgiagas. mansos duos cum omnibus appendicijs. uel adiacentijs eorum. et decima uel censum que rectores ipsius cellule annuatim accipiunt. jd est de uillis nuncupantibus in predicto pago haimoense. loueruna. et uualdriaco. et in pago hasbaniense auuanlia et imburcio unde memorata cellula decimam uel censum suscepit ut perhenniter in ditione predicte cellule subsisteret. sed pro maioris securitatis securitate. petutus iam dictus Lotharius clementiam nostram ut easdem auctoritates denuo per nostre serenitatis preceptum confirmaremus. Cuius peticioni ob amorem dei ac reuerentiam ipsius sancti loci ac fidele obsequium eius libenter adquiescentes hos excellentie nostre apices fieri censuimus. quibus precipientes iubemus ut nemo fidelium nostrorum aut missus noster discurrens aut quislibet ex iudiciaria potestate in ecclesias aut loca uel agros seu reliquas possessiones predicte cellule quas moderno tempore iuste et rationabiliter in quibuslibet pagis atque temptorijs infra ditionem imperij nostri possidet. uel ea que deinceps legittime eidem conlate cellule fuerint ad causas audiendas aut freda exigenda aut mansiones uel paratas faciendas. aut fideiussores tollendos. aut homines ipsius cellule tam ingenuos quam et seruos super terram ipsius commanentes iniuste distringendos nec ullas reditiones aut illicitas occasiones requirendas. nostris ac futuris temporibus ingredi audeant. uel ea que supra memorata sunt penitus exigere uel exactore presumat. et quicquid de rebus predicte cellule. ius fisci exigere poterat. totum nos pro eterna remuneratione eidem cellule in elemosina notra concedimus. ut in alimonia pauperum et stipendia clericorum ibidem deo seruientium proficiat in augmentis. predicte uero uillule et quorum nomina superius continentur. et decime et census. de predictis uillis sicut in aui et genitoris nostri auctoritates continentur ita perpetuo in ditione eius subsistant. et decima uel censu que de prescriptis uillis annuatim exire solebunt. et deinceps persoluentur ueluti eorundem predecessorum nostrorum temporibus ad prefatum semper persolute fuerunt locum. Et ut hec nostre auctoritatis preceptio pleniorem in dei nomine nostris et futuris temporibus obtineat firmitatem. manu propria subtus eam firmauimus. et anuli nostri inpressione assignari iussimus.

Signum Lotharij serenissimi augusti. Hrodmundus notarius ad uicem hildiuini recognoui. Data III jdus septembris. anno cristo propitio imperij domni Lotharij imperatoris jn italia XXV. et in francia. V. jndictione VII. Actum longolare palatio regio in dei nomine feliciter. amen. [1]

1) Die zwei vorstehenden Urkunden sind bei Miraei opera diplom. T. I. pag. 337 und 496 zu lesen. Der Copist derselben scheint die Schreibart des Originals verbessert, und Statt Ermenhardus, Erinhardus abbas gelesen zu haben.

Privilegium LOTHARY imperatoris de Sinceka. 855. [1])

3.

In nomine dni. nostri ihesu cristi dei eterni. Lotharius diuina ordinante prouidentia imperator augustus. Oportet imperialem excellentiam tanto copiosiores uotis et exercicijs opifici. et exaltatori suo laudes gratiasque rependere. quanto constat pre ceteris specialis culminis dignitate pollere. quia tunc sempiterni regni poterit adipisci consortium. si superni regni quesierit distribuere iuste salubriterque commissum. Hinc est etenim quod non modica. predecessorum nostrorum noscuntur. adhuc uigere nomina. quibus auctoribus plurima exstant. ad laudem dei. suique memoriam. monasteria fabricata. sic quippe Karolus imperator auus scilicet noster. et domnus ac genitor noster. pia memoria Ludewicus augustus. dno. opitulante. et cooperante fecisse. qui capellam que aquis est sita. a fundamentis pro statu regni. et remedio animarum suarum pio religionis affectu. recoluntur edidisse: proprijsque illam facultatibus ditantes. ac multipliciter ornantes. quatinus ad illorum et successorum suorum. utilitatem maneret. et ut diuini cultus ibi iugiter celebretur. Post quorum ab hac luce discessum. licet nos diuersis alijs modis nostra omnipotenti deo uota obtulerimus. non dispari tamen affectu pro reuerentia diuini muneris eandem capellam ob emolumentum anime prefati aui nostri Karoli. et pie recordationis domni ac genitoris nostri. Ludewici. seu etiam et nos eorum participes in tam strenuo opere. et consortes post huius lucis amissionem regni celestis esse queamus. amplificare et undique opitulari omni conamine dignum duximus. jgitur uos quoque eiusdem caritatis. et dilectionis feruore succensi. notum esse uolumus omnibus ecclesie ste. filijs presentibus scilicet et futuris. contulisse nos prefati sti. loci ad honorem beate marie genitricis dei. semperque uirginis. et sti. saluatoris capellam unam. que est in honore sti. petri principis apostolorum dicata. sita in fisco nostro qui uocatur sinciacus [2]) super are prope amnem qui nuncupatur rhenum. ad quam appendit ex una ripa fluminis mansus unus et medius. et ex altera medius. cum domibus. ceterisque edificijs. terris. cultis. et incultis. campis. uineis. siluis. pratis. pascuis. aquis. aquarumue decursibus. exitibus. et regressibus. rem inexquisitam. ac decimis omnibus. et mancipijs. his nominibus. Rainulfus. Rothbertus. Willulphus. Gherbtratwinus. nec non et alia mancipia. utriusque sexus atque censuales homines. et cerarios ibidem aspicientes. per succedentium curricula temporum in iam dicto loco. hec que hic habentur inserta. per hoc nostre largitionis preceptum. uolumus perpetualiter permaneat. Quod si superstitum nostrorum. uel alia quelibet cuiuscunque ordinis emissa persona ab illo sacro loco quod sub precepto nostro damus. aut mutare seu tollere. aliqua cupiditate uoluerit. sciat sibi dampni penam uenturam. Nostreque liberali beniuolentie pro hoc opere amore dei perfecte maneat sempiterna remuneratio. et causam tam strenue gestam. nulla temporum uarietas ualeat immutari. Et ut hec nostre largitionis auctoritas firmior habeatur. et nostris futurisque temporibus diligentius conseruetur. manu propria eam firmauimus. et anuli nostri impressi. iussimus sigillari.

Signum Lotharij serenissimi augusti. Ercamboldus notarius ad uicem Hildiuini recognoui. Data XVII. Kl. februarij. anno cristo propitio. jmperij domni Lotharij pij imperatoris. jn italia. XXXV. annos et in francia XV. jndictione III. Actum aquis grani palatio regio. in dei nomine feliciter. amen.

---

1) Günther, cod. diplom. 1r Bd. Seite 45.

2) Sincicha. Sinzig wird in den sächsischen Annalen zu den Königlichen Kammerhöfen gerechnet. Annalista Saxo ad an. 885. Jn seinem Pallaste Sinzig stellte der König Pippin 763 eine Urkunde aus.

Privilegium KAROLI crassi imperatoris. de bastonica. 887. [1])

4.

J. n. s. e. i. t. Karolus diuina fauente clementia imperator augustus. Nouerit ergo omnium fidelium nostrorum uidelicet presentium ac futurorum industria, qualiter nos pro peticione Rutharde dilecte coniugis nostre et Luiberti archiepiscopi nostri ste. maguntiensis ecclesie. quasdam res nostre proprietatis ad partem ste. marie capelle in aquis palatio site. iure perpetuo in proprietatem concessimus ad fratrum ibidem scilicet commorantium. ac deo militantium uictum atque uestimenta prebentium. id est in pago hardunensi. uillam que dicitur Bastonica. cum mercatu suo. et omnibus ad eam rite et iuste pertinentibus. edificijs uidelicet terris. agris. pratis. pascuis. siluis. aquis. aquarumque decursibus. exitibus et reditibus. uijs. et inuijs. cultis. et incultis. communijs. et mancipijs. utriusque sexus. uel quicquid ibi iuste et legali ordine sicut iam supradiximus pertinere uidetur. Et iam dicti fratres absque ullius contradictione mancipentur. nullusque eiusdem ecclesie abbas benefaciendi habeat licentiam. Et ut hec auctoritas nostre largitionis. nostris futurisque temporibus dno. protegente inuiolabilis habeatur. et ab omnibus uerius credatur et obseruetur. hoc idem preceptum propria manu nostra subtus firmari decreuimus. et anulo nostro sigillari iussimus.

Signum domni Karoli imperatoris augusti. Waldo cancellarius ad uicem Luitwardi archicancellarii recognoui. Data anno ab incarnatione dni. D. CCC. LXXXVII. jndict. V. anno imperij pijssimi imperatoris V. Actum palatio regali regesneburg. feliciter. amen.

Privilegium ARNOLPHI regis de nonis XLIII. uillis et de Bastonica. 888.

5.

J. n. s. e. i. t. Arnolfus diuina fauente gratia rex. Cum peticiones sacerdotum dei. et sanctarum congregationum rationabilibus diuini cultus amore fauemus. superna nos gratia muniri non diffidimus. Quo circa perueniat ad noticiam omnium fidelium dei. nostrorumque presentium. scilicet et futurorum. uniuersitatem. qualiter uenerabilis ste. coloniensis ecclesie archiepiscopus. Willibertus. et Albertus. cancellarius noster. adierunt clementiam nostram. obtuleruntque obtutibus nostris quandam auctoritatem in qua erat manifestum quomodo consobrinus noster. Lotharius rex. nonas partes omnium rerum. de. XLIII. villis. id est de aquis palatio. Geminis. (*Gimmenich.*) Marsna. (*Meersen.*) Warachte. Linnika. (*Linnich.*) Nuimaga. (*Nimwegen.*) Harna. (*Walhorn.*) Aschlo. (*Elsloo.*) Bailus. (*Baelen.*) Richeim. (*Richain.*) Tectis. (*Theux.*) Spirismonte. (*Sprimont.*) Haristallio. (*Herstall.*) Jopilla. (*Jupille.*) Astanid. (*Esneux.*) Glaniaco. Charango. Wactarmala. Noua uilla. Tumba. (*Thommen.*) Coruia. Amblaua. (*Amel.*) Vuadeninnas. Bulinge. Manderwelt. (*Mesch.*) Compendio. (*Conzen.*) Dura. (*Düren.*) Villare. Aschwilra. (*Eschweiler.*) Flattima. (*Flatten.*) Moffendurp. (*Muffendorf.*) Lenspalisiola. (*Palizeul.*) Vrio. Casa petrea. Caluincioco. Gammunias. Longolare. Cauiniaco. Maslario. Cloduna. (*Clotten.*) Ambarlao. (*Amberleux bei St. Hubert.*) Bastonio. (*Bastogne.*) et Ortao. daret ecclesie ste. dei genitricis semperque uirginis marie. Kapelle uidelicet que est in aquis palatio. qualiterque patruus noster Karolus pius augustus. ob eternam remunerationem anime sue. uillam bastonicam. eidem prescripte Kapelle contulisset. deprecantes clementiam nostram predictus scilicet. Willibertus archiepiscopus. et Albertus cancellarius. ut predicti consonbrinij nostri Lotharij regis auctoritas. patruique nostri

---

1) Allgem. Archiv etc. von Ledebur. 9r Bd. Seite 77.

2) Allgem. Archiv von Ledebur. 9r Bd. Seite 78.

Karoli augusti pia largitio. a nostra corroboraretur excellentia. quod et summa consensimus. beniuolentia. volumusque ut sicut Lotharij regis auctoritas retinet. ut de nominatis iam XLIII. uillis. de omni collobaratu dominij nostri. et speciali peculiare. omnium animantium. et iumentorum. seu ex omni censu quarumcunque rerum. pars nona a ministris ipsarum villarum. siue in regis dominium sint. siue quibuslibet personis beneficientur. absque negligentia iugiter tribuatur. et rector atque prouisor ipsius capelle nichil ex hoc quasi suum proprium. nisi ad disponendum. et ordinandum. prouidendumque. Et sicut unus ex alijs fratribus sibi uendicet. sed ad uictum et uestimenta eorum. et luminaria concinnanda pertineant. Villa uero supra nominata bastonia cum omni integritate sua sine ulla retractione. seu minoratione. in iam dicto perpetualiter in dei nomine cum mercato suo consistat dominio ecclesie. Siquis igitur successorum nostrorum. uel quelibet alia persona huius ordinationis nostre. quam pro stabilitate ecclesie dei. et omnium salute fieri decreuimus. destructor atque uiolator esse presumpserit. offensam. et iram dei omnipotentis ac genitricis dni. nostri ihesu cristi beatissime semper uirginis marie. simulque omnium sanctorum. incurrat Nobisque pro hoc opere amoris dei et studio pietatis perfecte maneat eterna retributio. Et ut hoc uerius credatur et diligentius. manu propria nostra. subtus hoc confirmauimus. et sigillo nostro assignari iussimus.

Signum domni Arnolfi. jnuictissimi regis. Albertus cancellarius ad uicem deotman archicapellani recognoui. Data idus Junij. anno dnice. incarnationis D. C.C.C. LXXXVIII. jndictione VI. anno autem. 1. regni domni Arnolphi serenissimi regis. Actum ad Frankenfurt palatio regali in cristi nomine. amen.

Privilegium ZUENDEBULCHI Regis de uilla que dicitur VII fontes. 896. [1])

6.

J. n. s. e. i. t. Zuentebolchus gratia dei Rex. Nouerit omnium ste. dei ecclesie. nostrorumque fidelium presentium scilicez et futurorum sollercia. qualiter dilecta propinqua nostra nomine Kisla gloriosissimi Regis Luitharij filia nostram excessit excellentiam. supplicans ut quasdam res nostre proprietatis de fisco nostro aquis grani palacij ei in proprium concederemus. Nos autem ob maximam dilectionem eius dedimus prefate abbatisse ipsam proprietatem quod petiuit. in loco quod dicitur VII fontes curtem indominicatum cum ecclesia cunctisque ad illa pertinentibus loca iuste legaliterque in mansis. in mancipijs utriusque sexus. id est terris. pratis. agris. pascuis. siluis. aquis. aquarumue decursibus. molendinis. piscationibus uijs et inuijs. exitibus et reditibus. quesitis et inquisitis. cultis. et incultis. Nec non et mansum Luitbrandi decirsoli ipsum cum omnibus possessionibus eius. Quapropter presens editionis constitutionisque preceptum conscribi precepimus. per quod uolumus. firmiterque iubemus. quatenus iam dicta uenerabilissima abbatissa Kisla modo per presentis pagine editionem prefatas res potestatiua manu teneat atque possideat. Nec non et de ipsis rebus potestatem habeat donandi. possidendi. uendendi. commutandi. seu quicquid ei libuerit faciendi. libero securoque in omnibus nullo ulterius contradicente. fruatur arbitrio. et nullus unquam posteritatis nostre ueniat. qui hoc confringere possit. Et ut hec auctoritas nostra in dei nomine firma et stabilis perseueret illesa, manu propria subtus roborantes firmauimus anulique nostri impressione iussimus iusigniri.

Signum domni Zuenteboldi pijssimi Regis. Hunger notarius ad uicem Rapoti archiepiscopi summique cancellarij recognoui. Data III Kal. augusti anno incarnationis dni. DCCC. (XCVI.) [2]) jndict. II. Regnante dno. Zuentebolcho serenissimo rege anno II. Actum aquis grani palatij in dei nomine feliciter. amen.

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 9r Bd. S. 81.

2) Die eingeklammerte Jahrzahl hat der Schreiber des Chartular ausgelassen.

Privilegium ZUENDIBOLDI Regis de capremonte, et renh. et haruia 897. [1])

7.

J. n. s. e. i. t. Zuendeboldus diuina ordinante prouidentia. rex. comperiat omnium sti. dei ecclesie nostrorumque fidelium industria. quia nos dilecto nostro comiti folcberto. quandam uillam ex nostra abbatia. capremons dicta. ren. nuncupata cum omni integritate in proprium donauimus. Econtra uero donauit ille nobis ex sua proprietate in pago battauui in comitatu dodonis in uilla Harauua ecclesiam et curtem indominicatam et LX mansos. ac mancipia. omnia ibi manentia. et illuc accedentia. At nos pro mercedis nostre augmento ad ipsam abbatiam. in uicem exinde uille. ren. ablate. jstas memoratas res. in proprium tradidimus cum uniuersis apenditijs earum. siluis. et campis. pratis. et pascuis. cultis. et incultis. mobilibus et in mobilibus. exitibus. et reditibus. aquis. aquarumue decursibus. farinarijs. et piscationibus. ut deinceps perpetuis temporibus sine alicuius inquietatione uel contradictione illuc omnes iste denominate res pertineant. jussimus autem hoc nostre auctoritatis preceptum inde conscribi. per quod uolumus. firmeque iubemus. ut ex utraque parte rata. ac competens. receptio nemine molestiam ullam ingestente. ulterius in conuulsa perseueret. Et ut hoc melius credatur. et diligentius per futura secula ab omnibus fidelibus nostris obseruetur. Hec scripta manu nostra subtus roborantes. anulo nostro insigniri iussimus.

Signum domni. Zuenceboldi gloriosissimi regis. Egilbertus cancellarius ad uicem. Herimanni archicapellani recognoui. Data. V. jdus julij. anno incarnationis dnice. D. CCC. XC. VII. jndictione. XV. anno uero. III. Zuenceboldi regis. Actum in uilla bilefurte dicta feliciter. amen.

Privilegium LODEWICI regis de wandria et hasnidi. 902. [2])

8.

In nomine dei omnipotentis et saluatoris nostri ihesu cristi. Hlodewicus diuina fauente gratia rex. Si iuxta morem antecessorum nostrorum imperatorum scilicez regumque religiosorum loca sacro sancta ditamus famulisque ibidem deo seruientibus ex rebus nostri iuris aliquid distribuerimus. per sanctorum patrocinia premium nobis ex hoc pio remuneratore ihesu cristo incunctanter recompensari credimus. quo circa omnium ste. dei ecclesie nostrorumque fidelium presentium et futurorum nouerit industria. quia Gebehardus comes illustris nostram adijt clementiam suggerendo. ut pro amore dei ac reuerentia beate marie genitricis ipsius fratribus ex monasterio capremons uocato eidem dei genitrici ibidem seruientibus aliquid ex rebus nostre proprietatis in proprium concederemus. Cuius suggestioni humillimaque peticioni libentissime adquiescentes. concessimus prenominatis fratribus ad mensam ipsorum in pago Leuchia in comitatu Sigarhardi in uilla uocata uuandria. mansos. II. quos actenus Rohingus. iure beneficiario possedit. et in alio loco Hasnidi uocato quicquid idem Rohingus inibi uisus fuit habere sua sponte consentiente tam mansis. campis. pratis. pascuijs. siluis. mancipijs. utriusque sexus. uijs. et inuijs. exitibus. et reditibus. totum et ad integrum prenominatis fratribus per hoc nostre auctoritatis preceptum condonamus hoc sanctientes ut genitoris nostri memores ac celsitudinis nostre cunctas res supradictas ab hodierno die deinceps habeant teneant atque possideant. Et ut hec nostre largitionis munificentia per succedentia tempora melius credatur. manu propria subtus eam firmauimus. anulique nostri impressione sigillari iussimus.

---

1) Allgem. Archiv. etc. von Ledebur. 9r Bd. Seite 83. — van Spaen, oordeelkundige jnleiding tot de Historie van Gelderland. 2de deel. 1802. cod. dipl. pag. 9.

2) Allgem. Archiv. etc. von Ledebur. 9r Bd. S. 84.

Signum Hlodewici serenissimi Regis. Lodulfus notarius ad uicem Rachpodi archiepiscopi summique cancellarij recognoui. Data VII idus octobris, anno dnice. incarnationis DCCCCII. jndict. V. anno vero domni Lodewici piissimi regis. III. Actum aquisgrani palatij in dei nomine feliciter. amen.

Privilegium LODEWICI regis de mortario. 910. [1]

9.

J. n. s. e. i. t. Lodewicus diuina ordinante Rex. Quotiens sanctarum dei ecclesiarum necessitatibus munimine regalitatis subuenerimus. morem antecessorum nostrorum imitamur, idque nobis ad presentis eui subsidia. adque ad future beatitudinis premia, incunctanter adipiscenda proficere credimus. Quo circa omnium ste. dei ecclesie nostrorumque fidelium. presentium ac futurorum, prudens agnitio comperiat. quia Hatto uenerabilis archiepiscopus, et Gerbeherd, celsitudinem nostram adierunt intimando qualiter frater noster Zuendiboldus. postquam a regni gubernatione proceres regni Lothariensis demiserint. cuidam uiro scilicez Rohingo. quandam proprietatem dederit. quam ipse Rohingus postmodum ad substantiam canonicorum in capremonte loco uocato degentium utcumque delegauerit, Cumque prenominatus comes hoc taliter actum perscrutauerit, nostris auribus innotuit, humillimeque expetijt, cum Hattone prefato pontifice ut pro salute anime nostre easdem res prenominatis canonicis per nostre auctoritatis preceptum confirmaremus, Nos quoque ipsorum peticioni libenter adquiescentes, prescriptas res in comitatu leuchia sitas mortariumque locum uocatum cum omnibus suis appendicijs ut actenus iam dictus Rohingus eas habere uisus fuit, ita deinceps ad substantiam sepedictorum canonicorum per presentem nostre regalitatis uigorem concedimus ac confirmamus, uidelicez cum manso indominicato atque ecclesia alijsque mansis. XII. castitus. campis, pratis, pascuis, siluis, cultis. et incultis. aquis aquarumue decursibus. molendinis. piscationibus. uijs. et inuijs, exitibus. et redditibus. quesitis et inquirendis. mobilibus. et in mobilibus. ac mancipijs utriusque sexus inibi residentibus, hoc quoque obnixe statuentes ac sanccientes ut more ecclesiastico ab hodierno die prescripti canonici ad mensam ipsorum habeant, teneant, atque possideant. nostrique ob id memores effici delectentur. Et ut presens nostre largitionis et confirmationis preceptum per succedentia tempora uerius credatur ac diligentius obseruetur, manu propria subtus firmauimus. et sigilli nostri impressione signari iussimus.

Signum domni Lodewici serenissimi Regis. Theodulphus notarius ad uicem Rabodi archiepiscopi, summique cancellarij recognoui. Data V. jdus nouembris, anno dnice. incarnat. D. CCCCX. jndict. XIII. anno uero domni. Lodewici X. Actum ingelneheim. in dei nomine feliciter. amen.

Privilegium HEINRICI regis de nonis. XLVII. uillis et de Bastonica. 930.

10.

J. n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia rex. Nouerit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum industria, qualiter quidam fidelis nostri Hacharius uidelicet uenerandus episcopus nec. non. ebehardus. et gisalbertus. egregij comites. nostre serenitatis celsitudinem accedentes nostram petierunt clementiam. ut antecessorum nostrorum regum etiam et imperatorum precepta. Lotharii. scilicet. Karoli. atque Arnulphi. ad ecclesiam in aquisgrani palatio sub honore sancte dei genitricis semperque

---

1) Miraei l. c. pag. 253.

uirginis marie constructam. atque dedicatam concessa. nostro innouaremus precepto. Nos uero eorum salubribus peticionibus libenti animo consentientes. iussimus hoc nostre confirmationis preceptum. jnde scribi firmiter precipientes. quatenus canonicis in eadem capella dno. famulantibus. none partes cunctarum rerum que laborari atque singulis annis exigi uidentur. jn locis aquisgrani. Geminis. Marsna. Vuarachte. Linnica. Nuimaga. Harna. Ascloha. Bailus. Richeim. Tectis. Spirismonte. Haristallio. Joppilla. Astanid. Glaniaco. Charango. Wactarmala. Noua uilla. Tumba. Coruia. Amblaua. Wactennias. Bulinga. Manderuelt. Compendio. Duira. Villara. Ascwilra. Flattinia. Heim. Mofendurp. Burz. Lens. Linsan. Basiolo. Vrio. Casapetrea. Caluintiaco. Gammunias. Longolare. Cauiniaco. Marerlario. Cloduna. Ambarlao. Bastonio et Ortao. nuncupatis cum uilla. Bastonica. quam Karolus imperator augustus eidem ecclesie per suam largitus est auctoritatem. omnique integritate ad eandem uillam. et prefatam nonam parte rite pertinente jn annona. in censibus. pecoribus. et cunctis animantibus- et omnibus. que dici aut nominari possunt. compendijs. sicut in predictorum regum scriptis tenetur. a nullo unquam impediantur. sed perpetuis temporibus pleniter eis concedantur. Et ut istius confirmationis nostre auctoritas firmiorem obtineat uigorem manu nostra subtus eam firmauimus. anuloque nostro insigniri iussimus.

Signum domni. Heinrici serenissimi regis. Symon notarius ad uicem. Hiltiberti archicapellani recognoui. Data Nonas. Julij. anno incarnationis dni. D. CCCC. XXX. jndict. III anno uero pijsimi. Heinrici regis. X. Actum aquisgrani. palatij. jn dei nomine feliciter. amen.

Privilegium ***OTTONIS*** *de duira* 941. [1])

11.

J. n. s. e. i. t. Otto diuina propitiante clementia Rex. Nouerint omnes fideles nostri presentes scilicet et futuri. qualiter nos pro remedio anime nostre. uel etiam domni dilecti genitoris nostri Heinrici Regis. quandam rem proprietatis nostre fratribus in aquisgrani palatij deo digne famulantibus iure perhenni inproprium donauimus. id est ecclesia. I. que est constructa in uilla que dicitur Duira in comitatu sunderscas ubi Gotefrid comes preesse dinoscitur. et utilitatem talem illis concessimus. qualem antea ex supradicta ecclesia in nostrum habuimus seruitium. Et ut hec nostre traditionis condonatio firmiorem in dei nomine obtineat stabilitatem. manu propria nostra eam firmauimus et anuli nostri impressione corroborari precepimus. Census uero eiusdem ecclesie. X. solid. persoluatur in uno quoque anno. Siquis uero hanc kartam infringere uel emutare uoluerit inprimitus iram dei omnipotentis incurrat. et omnium sanctorum eius.

Signum domni Ottonis inuictissimi Regis. Brun cancellarius ad uicem Wicfridi archicancellarij recognoui. Data VII. Kl. decembris anno dnice. incarnat. DCCCCXLI. jndict. XIIII. regnante ottone serenissimo Rege anno. VI. Actum. throtmannie in dno. amen.

Privilegium ***OTTONIS*** *Regis de harimala. hudil. et filfort.* 947.

12.

J. n. s. e. i. t. Otto diuina auxiliante clementia rex. Nouerint omnes fideles nostri presentes atque futuri. qualiter nos pro remedio anime nostre uel etiam dilectissime coniugis nostre beate memorie Aetgidis

---

1) Kremer, akadem. Beiträge 3r Bd. pag. 155.

quasdam rẽ proprietatis nostre ad stipendia fratrum in loco Keuermont deo digne militantium in proprium concessimus. id est hob. II. in uilla Harimala sitas, et ecclesiam I. cum omnibus appenditijs suis illuc legaliter aspicientibus. Preterea dedimus eis ecclesiam. I. in uilla ren constructam in pago heinegowe, alteram uero in uilla filfort constructam. iterum in uilla butil cum omni decimatione, omnibusque commoditatibus ad supradictas ecclesias iuste legittimeque pertinentibus. jussimus quoque inde hoc presens preceptum conscribi. per quod uolumus firmiterque iubemus, ut sine ullius contradictionis obstaculo hanc nostre traditionis condonationem firmiter ac securiter obtineant manu propria nostra firmatum et anulo nostro corroboratum.

Signum domni. Ottonis inuictissimi Regis. Brun cancellarius ad uicem Rodberti archicapellani recognoui. Data XIIII. Kl. mai. anno domini DCCCC. XL. VII. jndict. VI. Regnante pio Rege anno XI. Actum aquis in dno. feliciter. amen.

Privilegium OTTONIS (I) imperatorie. de nonis L. uillis et de bastonio. 966.

13.

J. n. s. e. i. t. Otto diuina fauente clementia imperator augustus. Cum peticiones sacerdotum dei. et sanctarum congregationum. rationabilibus diuini cultus amore fauemus. superna nos gratia muniri non diffidimus. Quo circa perueniat ad noticiam omnium fidelium dei. nostrorumque presentium scilicet et futurorum uniuersitatem, qualiter uenerabilis sancte maguntiensis ecclesie archiepiscopus, uidelicet noster dilectus filius Willelmus, nostram adijt clementiam, obtulitque obtutibus nostris quandam auctoritatem, in qua erat manifestum, quomodo antecessor noster, Lotharius rex, nonas partes omnium rerum de L. uillis, id est de aquis palatio, Geminis, Marsna, Vuarachte, Linnika, Nuimaga, Harna, Aschlo, Bailus, Reicheim, Tectis, Spirismonte, Haristallio, Jopilla, Astaneit, Glaniaco, Carango, Vuatermala, Noua uilla, Blaniaco, Timba, Coruia linai, Amblaua, Burz, Waldenminas, Blendofia, Bulinge, Heldun, Manderuelt, Lizau, Compendio, Satanai, Dura, Villare, Aschwilra, Flattima, Montfonthurp, Lenspalisiolo, Vrio, Casa petrea, Calvinciaco, Gammunias, Longolare, Cauiniaio, Maslapio, Elodima, Ambarlao, Bastonio, Etortao, daret ecclesie sancte dei genitricis semper uirginis marie, Kapelle uidelicet, que est in aquis palatio, qualiterque antecessor noster Karolus, pius augustus, ob eternam remunerationem, anime sue, uillam bastonicam, eidem prescripte Kapelle contulisset, deprecatus clementiam nostram, predictus noster scilicet dilectus filius Willehelmus archiepiscopus, ut predicti antecessoris nostri Lotharij regis auctoritas, Karolique pij augusti pia largitio, a nostra corroboretur excellentia quod et summa consensimus beniuolentia uolumus, que Lotharij regis auctoritas retinet, ut de nominatis iam, L. villis, de omni colloboratu dominij nostri, et speciali peculiare omnium animantium, et iumentorum, seu ex omni censu quaruncumque rerum pars nona a ministris ipsarum uillarum siue in regis dominium sint, siue quibuslibet personis, beneficientur, absque neggligentia tribuatur iugiter, et rector atque prouisor ipsius capelle nichil ex hoc quasi suum proprium, nichil ad disponendum et ordinandum prouidendumque et sicut unus ex alijs fratribus sibi uendicet, sed ad uictum, et uestimenta eorum et luminaria pertineant, Villa uero supra nominata bastonia cum integritate sua, sine ulla retractione, siue minoratione in iam dicato, perpetualiter in dei nomine, cum mercato suo consistat dominio ecclesie, Siquis igitur successorum nostrorum, uel quelibet persona huius ordinationis nostre, quam pro stabilitate ecclesie dei, et omnium salute fieri decreuimus, destructor atque uiolator esse presumpserit, offensam et iram dei omnipotentis, ac genitricis dni, nostri jhesu cristi, beatissime semper uirginis marie, simulque omnium sanctorum incurrat, nobisque pro hoc opere amoris dei et studio pietatis perfecta eterna retributio, et ut hoc

uerius credatur et diligentius conseruetur, manu nostra propria subter hoc confirmauimus preceptum, et sigillo nostro assignari iussimus.

Signum domni Ottonis magni et inuictissimi imperatoris augusti. Luidolfus cancellarius ad uicem Willelmi archicapellani recognoui. Data XIIII. Kl. marci. anno dnice. incarnationis DCCCC. LXVI. indict. VIIII. anno autem regni domni Ottonis. XXXI. jmperij uero V. Actum nuimaga in dei nomine feliciter. amen.

Privilegium OTTONIS (I) imperatoris de erclentia. et de electione prepositi. 966. [1])

14.

J. n. s. e. i. t. Otto diuina fauente clemencia imperator augustus. Nouerit omnium dei nostrorumque fidelium industria. qualiter nos pro remedio anime beate memorie patris nostri domni Heinrici Regis. pro statu regni nostri. pro incolumitate nostra dilecteque coniugis nostre adalheilde imperatricis auguste. dilectique filij nostri Ottonis Regis. ad capellam quam diue memorie Karolus imperator augustus. ob culmen. et fastigium sui imperij in honorem saluatoris dni. nostri ihesu cristi. eiusque genitricis. ste. marie in palatio aquis grani construxerat. et ad uictum ceterasque utilitates fratrum inibi deo seruientium curtem Galmina (*Gelmen*) nominatam. que quondam Rudolfi erat. sed ob infidelitatem eius quam in nostrum imperium exercuerat in nostrum ius diiudicata sitam in pago haspengeuue. in comitatu uuerenharu. cum omnibus ad eam pertinentibus concessimus. quam postmodum fideli nostro comiti jmmoni iure concambij possidendam condonauimus. econtra uero prenominatus comes jmmo eidem capelle et usui fratrum inibi deo seruientium ex sua proprietate contulit. quicquid in pagis et locis subtus nominatis aliquo iure possideret. hoc est in pago luihgouui. in comitatu Richarij. Furon. (*Fouron.*) curcella in pago Mulehkeuue. (*Mühlgau.*) in comitatu. Eremfredi. Herclinze. (*Erkelenz.*) Hostrich. (*Oestrich.*) Berge. (*Berg unter Beeck.*) Richolferod. (*Rickelrath.*) Uuazzarlar. in pago Auuilgonui. (*Auel- Siegburger gau.*) in comitatu Eberhardi. Linberge. Rameres. Doijf. Dullendoijf. Breitenbach. Zeizendoijf. cum omnibus ad ea loca pertinentibus. curtilibus. edificijs. mancipijs. agris. cultis. et incultis. uineis. aquis. aquarumque decursibus. molendinis. piscationibus. pratis. pascuis. siluis. exitibus. et reditibus. et cum omnibus utilitatibus. hanc eius traditionem. et iam nostro corroborauimus precepto. eidem prefate capelle. et usui fratrum inibi deo seruientium ecclesiam in uilla que dicitur Thuira. (*Düren.*) cum omnibus ad eam pertinentibus possidendam dedimus. Nos etiam periculosa tempora predecessorum nostrorum imperatorum. seu regum intuentes. quorum aliqui quasdam abbatias. que sub tuitione et inmunitate imperatorum. et Regum erant. electionemque inter se elegendi abbatem haberent ad episcopia. seu ad abbatias. seu autem quod peius est laicis dissipandis suo precepto tradidissent. modo uero succedentium temporum imperatorum. Regum consulentes. cum communi consilio procerum nostrorum episcoporum uidelicez Willehelmi maguntiensis ecclesie archiepiscopi. Theoterici. treuerensis ecclesie. archiepiscopi. Theoterici metensis ecclesie episcopi. Annonis. Wormacensis ecclesie episcopi. Lantwardi mindonensis ecclesie episcopi. Gerhardi tullensis ecclesie episcopi. reliquorumque primatum nostrorum. abbatum. ducum. comitum. hoc palatium aquis grani precipuam cis alpes Regiam sedem hoc precepto firmauimus. ut canonici in prefata capella. cui modo brun uenerabilis canonicus abbas preesse dinoscitur. saluatori nostro dno. ihesu cristo. eiusque matri marie famulantes. liberam inter se habeant licentiam. canonicum eligendi abbatem. qui modo prepositus dicitur. quod uero absit. si inter eos talis inueniri non possit. qui eos regere possit. jmperator siue rex. talem canonicum inueniat. nec episcopum. nec monachum. sed eum

---

2) Allgem. Archiv. etc. von Ledebur. 7r Bd. S. 298.

qui dei timorem habeat. eosque iuxta canonicam Regulam arguere. increpare. obsecrare et sapiat. et queat. et uelit. Et ut nullus umquam successorum nostrorum. imperatorum. siue regum. hanc prefatam capellam. seu aliquid ad hanc pertinens. siue in terra. siue in edificijs. siue in mancipijs. siue in aliqua re. uel ad aliquam ecclesiam. uel alicui inproprium. uel alicui episcoporum. uel alicui persone in beneficium det. Sed ut semper sit in tuitione et immunitate imperatorum et Regum. iussimus hoc presens preceptum conscribi. anulique nostri inpressione insigniri. manuque propria subtus illud firmauimus.

Signum domni Ottonis magni et inuictissimi imperatoris augusti. Luitolfus cancellarius ad uicem Willehelmi archicapellani recognouit. Data XVI. kl. februarij. anno dnice. incarnat. DCCCC. LXVI. indict. IX. anno regni Ottonis Regis XXXI. jmperij uero IIII. Actum aquis grani. palatio in dei nomine feliciter.

Privilegium OTTONIS I imperatoris de Kiuermunt. 972. [1]

15.

J. n. s. e. i. t. Otto diuini nutus prouidentia imperator augustus. Cum nostre exigat. sublimitatis officium. omnigena nos consiliorum sollertia. ob regnorum status securos. gentiumque leges. moderatim stabiliendas peruigilique sagacitatis consultu. maxime ecclesiasticas diuino cultu per orbem dilatando structuras. pie salubriterque prouidendas euigilare. fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum patefieri uolumus industria. qualiter memorie beatissime Karolus imperator augustus. eterne recompensationis preposito. locum quendam aquis grani. sed uulgari uocabulo. ahha nuncupatum. quasi ab exordio erigere lataque facultate a deo agressus est sublimare. ut capellam ibidem miri decore artificij in honore ste. marie matris dni. nostri ihesu cristi construi fecisset. plurimisque locorum regalium prediis eiusdem honores. nec non clericorum hanc obseruantium catherue usus commodos perpetim subministraturis honestate ditaret. sedibusque imperatorijs locum eundem dignum extulisset. jbi ipse in tumulo pausat. Quam etiam nos non minus dei timore prospecto. ne paupertates isdem rebus ecclesiasticis quo labi inciperent. accedentem nostrorum serenitates temporum cerneremus. neque egestatis utilitate a proprie constitutionis origine permutata. in beneficiales seruitutes a quoquam successorum nostrorum donari ualeret. locupletari nostro quoque fulcimine cupientes abbatia Kiuermunt uniuersaliter uocata. nostra imperiali potentia ad eiusdem ecclesie fratrumque ibidem deo famulantium usus accumulatos cum omnibus appertinencijs. legalibus riteque adherentibus condonare in perpetuo mansuram proprietatem donauimus. scilicet cum utriusque sexus. mancipijs. edificijs. terris. cultis. et incultis. pratis. pascuis. siluis. uineis. aquis. aquarumue decursibus. molendinis. mobilibus et inmobilibus. uijs. et inuijs. exitibus. et reditibus. quesitis. et acquirendis. ac cum omnibus iuste legaliterque illo pertinentibus. jnsuper etiam iuris nostri legibus. tam nobis quam cunctis successorum nostrorum regulis imperatorum posteritatibus auctoritates decernimus. decretumque firmauimus. ut deinceps de regum uel imperatorum capella. abbas eidem loco proficiendus eligatur. jdemque quicunque erit nulla ecclesie res sibi prouidendas. forinsecus aliquo usu deducere presumat. sed infra communitatem ad fratrum ceterorumque ibidem seruientium commoda necessaria retentet. Proponimus autem ad hec. ut nullus per eternas temporum successiones. rex uel imperator iam dictum locum cuique omnium in beneficium prestet. sed per se ut ab exordio in regum uel imparatorum manibus integerrimas perseueret. Et ut hec donatiui auctoritas precepti nostri firmior. stabiliorque ste. dei ecclesie filijs perpetim credatur. huius carte inscriptionem fieri. manuque propria subtus roboratam. anuli nostri impressione iussimus insigniri.

---

1) Miraei l. c. T. I. pag. 506.

Signum domni Ottonis magni et inuictissimi imperatoris augusti. Wilcillifus notarius uice Rodberti archicancellarij subscripsi. Data kl. augusti. anno incarnationis dnice. DCCCC. LXXII. jndict. XV. anno regni domni Ottonis. XXXIII. jmperij XIII. Actum papie.

Privilegium OTTONIS III imperatoris de Trotmannia. 997. [1]

16.

J. n. s. e. i. t. Otto diuina fauente clementia romanorum imperator augustus. Sicut beata remuneratione ditatos. qui ecclesias dei suis honorifice fundarunt operibus. decorisque struxerunt pro diuine caritatis amore. structuris indubitantes credimus esse. jta etiam qui eas aliquo infortunio uel negligentia iam defectas eadem qua a prioribus sunt studio ac sapientia funditus edificate redintegrare et restaurare nec non suis operibus augere studuerint. nec minori putamus a cristo mercede fore ditandos. Qua propter omnium ste. dei ecclesie nostrorumque fidelium presentium uidelicez ac futurorum nouerit uniuersitatis industria. qualiter nos pro dei amore nostreque anime ac nostrorum parentum. nec non pro illius uenerande memorie Karoli magni imperatoris qui eam quam redintegrare. uel augere studemus. nouiter fundauit ecclesiam anime remedio. quendam nostre proprietatis locum trotmannin dictum in pago Weffalon situm cum omnibus pertinentijs suisque adiacentijs in mancipijs utriusque sexus. in cunctis etiam areis. edificijs. terris. cultis. et incultis. agris. pratis. campis pascuis. siluis. uenationibus. aquis. aquarumque decursibus. molendinis. piscationibus uijs. et inuijs. exitibus. et reditibus. quesitis et inquirendis. omnibusque alijs appenditijs que adhuc dici nominari aut inquiri. uel inueniri possunt. ad ecclesiam ste. dei genitricis et uirginis marie in aquisgranensi palatio constructam. scilicet ad superius altare in eadem capella sub honore ste. resurrectionis cristi dedicatum nostra imperialis precepti atque traditionis nec non donationis et oblationis pagina donamus. offerimus concedentesque confirmamus et corroborantes largimur prout iuste et legaliter possumus ea uidelicet ratione eoque pacto atque rata stabilitate ut prefatus locus trotmannin dictus cum omnibus pertinentijs superius scriptis iugiter et perpetualiter ad perpetuum stabilitatem prefato altari in honore ste. resurrectionis dni. nostri jhesu cristi pertineat. Et ut hec nostre traditionis et oblationis donationisque concessio cunctis temporibus firma et stabilis maneat ac perseueret. hoc preceptum inde conscriptum. sigilli nostri impressione signari iubentes. manu propria sicut inferius cernitur corroborauimus.

Signum domni Ottonis inuictissimi romanorum imperatoris augusti. Hildebaldus episcopus et cancellarius uice Willegisi archiepiscopi recognouit. Data IIII. jdus octob. anno dnice. incarnat. DCCCC. XCVII. jndict. XI. anno uero tercij Ottonis regni XIIII. jmperij autem secundo. Actum in aquisgranensi palatio. feliciter. amen.

Privilegium OTTONIS III imperatoris de Andernake. 998. [2]

17.

J. n. s. e. i. t. Otto diuina fauente clementia romanorum imperator augustus. Omnibus ste. dei ecclesie nostrisque fidelibus presentibus et futuris notum esse uolumus quod pro remedio anime nostre et nostrorum parentum dedimus ad capellam ste. marie in aquisgranensi palatio constructam. quandam nostre

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 9r Bd. S. 86.

2) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. Seite 66.

proprietatis curtem Andernacho dictam in pago meinefeld ac comitatu becelini comitis sitam, atque eandem curtem cum omnibus suis pertinentijs in mancipijs utriusque sexus. areis. edificijs. uineis. agris. campis. pratis. pascuis. siluis. uenationibus. aquis aquarumque decursibus. molendinis. piscationibus. cunctisque que adhuc dici uel nominari possunt sibi in proprium tradidimus. et de nostro iure et dominio. in eius ius et dominium transfundimus. ea uidelicet ratione ut ad prefatam capellam inperpetuum pertineat. Et ut hec nostre donationis auctoritas firma et inconuulsa permaneat. sigilli nostri impressione sigillare precepimus. manuque propria ut infra uidetur corroborauimus.

Signum domni Ottonis inuictissimi imperatoris augusti. Hildebaldus episcopus et cancellarius uice Willigisi archiepiscopi notaui. Data XV. kl. augusti. anno dnice. incarnat. DCCCCXCVIII. jndict. XI. anno tercij Ottonis regni XV. jmperij tercio. Actum Luce feliciter.

Privilegium OTTONIS III imperatoris de Thile. 998. [1])

18.

J. n. s. e. i. t. Otto fauente diuina clementia. romanorum imperator augustus. Omnibus modis quibus nostrorum preteritorum patrum uestigia sequentes in augmentis ecclesiarum. uel in aliquibus ceteris bonis dei operibus exercemur. non protemporalis. et fragilis. atque caduce uite statu. que momentanea citoque casura est. et in cuius iam fine versamur. elaborare debemus. quia sicut ait apostolus. nos sumus in quos fines seculorum deuenerunt. sed semper in omnibus bonis operibus commorantes. ad illud summe beatitudinis premium. ac remunerationem. que fine carent. cunctis uiribus. totaque mentis intentione tendere. pedibusque bonorum operum incessanter currere debemus. Qua propter omnium sancte dei ecclesie. nostrorumque fidelium presentium scilicet et futurorum nouerit. sollers industria. Qualiter nos huiusmodi succensi diuine caritatis ardore. ac pro nostra nostrorumque parentum animarum remedio. nec non pro salute diue intentionis anime Karoli magni imperatoris. quendam nostre proprietatis locum et curtem tile nuncupatum. cum omnibus eius pertinentijs in utriusque sexus. mancipijs. areis. edificijs. terris. cultis et incultis. agris. pratis. campis. pascuis. siluis. uenationibus. aquis. aquarumue decursibus. molendinis. piscationibus. uijs et inuijs. exitibus. atque reditibus. quesitis et inquirendis. omnibusque alijs appendicijs. que adhuc dici. uel inueniri. siue inquiri possunt. ecclesie ste. dei genitricis et uirginis marie. in nostro aquis granensi palatio constructe. ad altare superius. in honore ste. resurrectionis ihesu cristi dni. nostri. deo dicatum. per nostrum imperialis traditionis. oblationis. atque concessionis. preceptum. donamus. confirmamus. corroborantesque largimur. prout iuste. et legaliter possumus. ea uidelicet ratione rata. firmaque stabilitate. quatenus predictus locus. et curtis thile uocitata. cum omnibus supra descriptis. iugiter et perpetualiter ad prenominatum in honore st. resurrectionis constructum. atque dedicatum. altare pertinere noscatur. Et ut hec nostre auctoritatis et donationis uel preceptalis pagina. firma et stabilis. atque perseuerando cunctis temporibus maneat inuiolabilis. hoc preceptum inde conscriptuum sigilli nostri impressione signari iubentes. manu propria sicut subtus cernitur corroborantes confirmauimus.

Signum domni Ottonis serenissimi. inuictissimique romanorum imperatoris augusti. Hildebaldus episcopus. et cancellarius uice Willigisi archiepiscopi notaui. Data IIII. idus octobris. anno dnice. incarnationis. D. CCCC. XCVIII. jndictione XI. anno autem tercij Ottonis regnantis XIIII. jmperij autem secundo. Actum in aquis granensi palatio feliciter. amen.

---

1) van Spaen, l. c. pag. 17. — Allgem. Archiv. von Ledebur, S. 67.

Privilegium OTTONIS III imperatoris, de tila, et nerstein. 1000. [1]

19.

J. n. s. e. i. t. Otto tercius seruus ihesu cristi, et Romanorum imperator augustus. Secundum uoluntatem dei saluatoris nostrique liberatoris, Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus atque futuris, qualiter nos ob dei omnipotentis amorem et ob remedium anime nostre parentumque nostrorum, cardinalibus et canonicis, et cunctis fratribus sacro ecclesie aquis granensis ste, jn honore st, dei genitricis marie, et ste, resurrectionis constructe, ubi nostra sedes ab antecessore nostro, scilicet Karolo famosissimo imperatore augusto constituta, atque ordinata esse dinoscitur, dedimus quasdam iuris curtes, Tiele et Nerestein, [2] dictas. jgitur Tiele situm est in comitatu Vnrohi comitis et in pago Testerbant disto. ast Nerenstein adiacet. in comitatu Amichonis comitis. ac etiam in pago Nahgowij sitas, atque easdem curtes cum omnibus utensilibus, areis, edificijs, utriusque sexus mancipijs, terris, cultis et incultis, agris, pratis, campis, et uineis, pascuis, siluis, uenationibus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, uijs, et inuijs, exitibus seu reditibus, ceterisque omnibus que adhuc dici, aut inueniri possint, suprascripte aquisgranensi ecclesie ad usum et expensam eorundem canonicorum, in proprium tradidimus, eo tenore ut si aliquis nostrorum successorum regum, seu imperatorum easdem curtes de iam dicta ecclesia tollere presumpserit, in tremendo iudicio ante extremum iudicem nobiscum stet rationem reddendo, et ab ipso perpetuum suscipiat anathema.

Signum domni Ottonis cesaris inuictissimi. Et ut hec nostra traditio firmior sit in perpetuum, hanc paginam manu propria corroborantes sigillare iussimus, Heribertus cancellarius uice, Willigisi archiepiscopi recognouit, Data VIII, mensis febr, anno dnice incarn, M, jndict, XIII, anno tercij Ottonis regn, XVI, jmperii IIII, Actum Radespone.

Privilegium HEINRICI regis, II, de refectionibus ab ecclesia s, Adalberti et s, Nickolai soluendam 1005. [1]

20.

J. n, s, e, i, t, Heinricus rex diuina propiciante clementia. Si concessa nobis rationabiliter et fideliter ordinauerimus, et ex concessis concedentes honorauerimus, ipsum nobis conciliabimus, ex quo non nostra tantum sed et nos ipsos, suscepimus, et etiam regie libertatis modestiam exequentes, quicquid egerimus, hac ratione stabilius esse putamus, Quo circa cunctis notum esse uolumus, tam futuris quam presentibus, quod aquisgrani duo monasteria unum scilicet in honorem sti, Adelberti, alterum in honorem sti, Nikolai consilio et consensu principum, ducum, uidelicet episcoporum et comitum struximus, et horum cuique suam necessarijs ad hoc exhibitis congregationem decreuimus, ut ibi in memoriam magni Karoli seniorisque mei tercij Ottonis specialiter antecessorum quoque et parentum meorum nostrique etiam et nobis successurum illi soli seruiant, a quo remissionem peccatorum per huiusmodi decreta speramus, Hec tamen in hac ratione disponimus ne maiestas monasterij ste, dei genitricis cum decima depereat, sed ut actenus in eodem loco principatum obtinuit, sic absque ulla ambiguitate in futurum obtineat, et singulis annis congregatio ste, marie in festiuitate sti, Adalberti a congregatione sua et in festiuitate sti, Nikolai a congregatione sua, refectionem unam in respectum habeat Et ut hoc nostre auctoritatis preceptum per succedentia tempora inuiolabilem,

---

1) van Spaen, l. c. pag. 18. — Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. Seite 68.

2) Chron. gottwicense. T. II. pag. 697.

3) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. Seite 71.

inconuulsamque obtineat firmitatem. et a fidelibus ste. dei ecclesie nostrisque uerius et certius credatur. et manu propria subtus firmauimus. et sigilli nostri impressione designari iussimus.

Signum Regis gloriosissimi Heinrici. Bruno cancellarius uice Wilsegisi archicapellani recognoui et subscripsi. Actum est trotmannie. recitatum publice. pridie nonas julij. anno ab incarnat. dni. M. V. jndict. III. anno uero Heinrici regis secundi regnantis. IIII.

Privilegium HEINRICI II. Regis de Rila. 1006.

21.

J. n. s. e. i. t. Heinricus II. profluentis clemencie rex. et imperator. Notum sit omnibus cristi fidelibus, qualiter familia de Rila scilicet Rubrant. Edelen. et eorum coheredes omnem decimationem de Rila. que ab antecessorum suorum hereditate in eorum erat possessione pro remedio animarum suarum. et antecessorum suorum aquensi ecclesie. ad altare ste. marie. sub presentia nostra ad usus fratrum tradiderint. hac conditione. ut de eadem decima. IIII. carrate uini singulis annis dentur. ecclesie de Rila. Et ut traditio firma et inconuulsa permaneat cartulam hanc sigillo nostro insigniri iussimus. Actum aquis grani in palatio nostro. anno dñice. incarnationis. M. VI.

Privilegium HEINRICI regis de toloneo in trauena. [1])

22.

J. n. s. e. i. t. Heinricus rex secundum uoluntatem dei. et saluatoris nostri ihesu cristi. Notum sit omnibus cristi fidelibus tam presentibus. quam absentibus. qualiter fratres aquensis ecclesie ad me conuenerunt deprecantes. ut quid tempore antecessorum. nostrorum habuerunt. mea presentia renouaretur. Qua propter teloneum de trauena. et bannum eis concedo. sicut et ceteri antecessores mei. Uenerunt etiam ad me incole loci illius. serui scilicet ecclesie ste. Marie aquis grani. Gizelo anno. Guntbret. Huno. Liuezo. Meinbolt. Ruezelin. Hunzelt. Gislebret. cum alijs quos longum est enarrare. et ecclesiam de trauena eorum hereditario bono constructam cum omnibus que ad eam pertinent. uineis scilicet et decimationibus ad usum fratrum aquis grani ad altare beate marie. in mea presentia tradiderunt. eo tenore, ut singulis annis pro eadem ecclesia dentur eis quatuor Karrate uini. Et ut hec tradicio firma et inconuulsa permaneat. scriptum est hoc more antecessorum nostrorum. et manu propria corroborauimus. et sigilli nostri inpressione insigniri iussimus. Actum aquis grani palatii VIII. jdus julij. anno ab incarnatione dni. M. VII. jndictione. V. rege Heinrico regnante. anno regni eius VI.

Signum domni Heinrici Regis per cristum inuictissimi. amen.

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. S. 74.

Privilegium HEINRICI IIII (II) imperatoris de Moffendorf. 1020. [1]

23.

J. n. s. e. i. t. Heinricus dei gratia romanorum imperator augustus. quia diuine pietatis munificentia huc cusque nobis propicia. quamuis immeriti. regni et imperij fasces accepimus. dignum et utile. atque anime nostre profuturum iudicamus. illud adtendentes. cui plus committitur. ab eo plus exigitur. ut ei. a quo et per quem regnamus. in ecclesijs restaurandis. et sublimandis. et in cristi fidelibus. ministris. adiuuandis. et consolandis. fideliter deseruire studeamus. Unde et per istud scriptum. presentibus. atque futuris innotescimus. qualiter pro animabus parentum. et antecessorum nostrorum regum. et imperatorum. et nominatim pro anima tercij ottonis imperatoris. et pro remedio anime nostre. et chunigunde dilectissime coniugis nostre. quandam curtem. Moffendorp nominatam. quam de monasterio Herolues feldensi. sti. Wichberti. speciali nostri iuris proprietate ad regnum non pertinente communi milicie atque familie libitu. atque concensu commutauimus. in comitatu Ezzonis palatini comitis. in pago qui dicitur punnegouwe ad monasterium ste. dei genitricis marie aquis grani in usus fratrum ibi deo seruientium ea lege concessimus. ut nulla maior. uel minor persona. hanc. post hanc ab eorum communi utilitate aut in beneficium. aut in ullos privatos usus. auferre presumat. cum tota illa terra. que ibi nostri iuris hactenus erat. cum mancipijs utriusque sexus. terris. cultis et incultis. cum foresto. siluis. uenationibus. uineis. aquis. piscationibus. pascuis. molendinis. et omnibus appertinentijs. quesitis et inquirendis. et cum omnibus que dici poterunt aut nominari. quicunque uero nobis uiam universe carnis ingredientibus. huius precepti corruptor atque uiolator exstiterit. coram ihesu cristo. iusto uidelicet et matre sua sancta maria rationem inde redditurus pallens ac tremens subsistat. et in — — — — — — Et ut hec nostra tradicio omni tempore stabilis et inconuulsa permaneat. hanc imperialis precepti paginam inde conscribi ac manu propria confirmantes sigillo nostro insigniri jussimus.

Signum domni Heinrici Romanorum imperatoris inuictissimi. Guntherius cancellarius uice Ercanboldi archicapellani recognouit. anno ab incarnatione dni. M. XX. indictione III. data VIIII. kal. augusti. anno uero domni. Heinrici secundi regni XX. imperij autem eius VII. Actum aquis grani feliciter.

Privilegium HEINRICI III. regis de Gimniaco et Haruia. 1042. [2]

24.

J. n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia rex. Omnibus modis. quibus nostrorum preteritorum patrum uestigia sequentes in augmentis ecclesiarum uel in aliquibus ceteris bonis operibus exercemur non pro temporalis et fragilis atque caduce uite statu. que casura est elaborare debemus. sed semper in omnibus bonis operibus commorantes. ad illud summe beatitudinis premium ac remunerationem que fine carent cunctis uiribus totaque mentis intentione tendere debemus. Qua propter omnium ste. dei ecclesie fidelium nostrorumque presentium scilicet ac futurorum sollercia nouerit, quomodo nos hac moti sollicitatione. ac pro dei caritate nostreque anime parentumque nostrorum remedio. quoddam predium traditum nobis ab Heinrico duce adiacens Giminiaco. et Haruia. in commitatu Tioboldi cum omnibus suis appenditijs. et adiacentijs in mancipijs utriusque sexus. in cunctis areis. edificijs. terris. cultis. et incultis. quesitis.

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. S. 75.

2) Allgem. Archiv. von Ledebur. 6r Bd. S. 220.

et inquirendis. ecclesie sancte dei genitricis et uirginis marie in nostro aquis granensi palatio constructe per nostrum regalis traditionis, oblationis atque donationis preceptum donamus. ea uidelicet ratione rata firmaque stabilitate, quatenus predictum predium cum omnibus supra descriptis iugiter ac perpetualiter ad prenominatam ecclesiam pertinere noscatur. Et ut hec nostre auctoritatis pagina firma et stabilis maneat. hoc preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari iubentes, manu propria sicut subter cernitur corroborantes confirmauimus.

Signum domni Heinrici tercij. deo uolente regis inuictissimi. Berhardus cancellarius uice Barthonis archicapellani recognoui. Datum VI. jdus augusti. jndict. X. anno dnice. incarnationis. M. XL. II. anno autem domni Heinrici tercij ordinationis eius XV. Regni uero IIII. Actum confungon. feliciter. amen.

Privilegium HEINRICI III. imperatoris de Harne. 1098.

25.

J. n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia tercius Romanorum imperator augustus. Notum sit omnibus cristi uostrique fidelibus tam futuris quam presentibus. qualiter nos ob interuentum dilecti filij nostri. Heinrici regis. Oberti leodicensis. Vuizelonis mindensis. Burchardi monasteriensis. episcoporum. Burchardi. Vuerinheri marchionum. ob seruitium quoque cappellarij nostri. Godescalci aquensis ecclesie prepositi. inprimis autem pro remedio anime nostre. parentum. aliorumque fidelium nostrorum. quoddam predium. nomine Harne. situm in pago harduenne. in comitatu Tietbaldi. cum omnibus appendicijs. hoc est utriusque sexus mancipijs. areis. edificijs terris. cultis et incultis. uijs. et inuijs. pratis. pascuis. campis. siluis. uenationibus. aquis. aquarumque decursibus. molis. molendinis. piscationibus. exitibus et reditibus. quesitis. et inquirendis. et cum omni utilitate. que inde ullomodo prouenire poterit. dnice. matri. et perpetue uirgini Marie. in aquensi ecclesia specialiter suo nomini attitulata in proprietatem iure perpetuo firmando tradidimus. tradendo firmauimus. Dedimus quoque eidem dne. nostre marie in eadem aquensi ecclesia tres aduocatias. uidelicet super idem predium quod predximus. Harné. et super alia duo loca. Loncins et manderuelt. que pertinent ad prefatam ste. Marie aquensem ecclesiam. ea ratione. ut eiusdem aquensis ecclesie prepositus. Godescalcus. suique successores easdem aduocatias. tres. potestatiue teneant. et pro utilitate ecclesie prefate. et fratrum ibidem seruientium deo. consilio. cui ueliut negent. tribuant. super eadem tria loca. et uniuersa ad hec pertinentia. Similiter de prefato predio Harne. quicquid eis placet pro utilitate tamen ecclesie. idem prefatus prepositus. Godescalcus. suique successores faciant. Et ut hoc firmum et in conuulsum omni euo permaneat. hanc cartam inde conscribi. et propria manu ut infra uidetur corroboratam. sigilli quoque nostri impressione insignitam. prefate aquensis ecclesie prepositi et fratrum utilitati iussimus servari.

Signum domni Heinrici tercij romanorum imperatoris augusti. Humbertus cancellarius uice Ruothardi archicancellarij recognoui. [1])

---

1) Datum fehlt im Chartular.

Privilegium Heinrici IIII. imperatoris de Harne. 1112. [2])

26.

J. n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia quartus romanorum imperator augustus. Considerantes quod conditio huius lubrici seculi breuis sit et incerta, statuimus in hac ualle lacrimarum serere. quod in futuro cum gaudio sit metendum. Qua propter exemplo predecessorum nostrorum. et precipue parentum nostrorum imperatorum qui decorem ecclesie quam plurimum dilexerunt. cultum dei ampliandum ubi et quantum possumus decreuimus. Notum itaque facimus omnibus cristi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus. qualiter curiam Harnam. quam pater noster Heinricus. beate memorie tercius imperator ecclesie ste, dei genitricis Marie que est aquis grani. delegauit. eandem nos ammonitione et rogatu principum nostrorum. et catholicorum uirorum uidelicet. Brunonis treuerensis archiepiscopi. Hartwici. ratisponensis episcopi. Ottonis. bauenbergensis episcopi. Erlungi. werceburgensis episcopi. Burchardi. monasteriensis episcopi. Arnoldi capellanarij nostri. et predicte ecclesie prepositi. Godefridi. comitis de caloen. Herimanni. marchionis. et aliorum multorum. delegauimus cum omnibus appenditijs scilicet mancipijs. aduocatia. agris. pratis. pascuis areis. siluis. uenationibus. piscationibus. aquis. aquarumue decursibus. molis. molendinis. uijs. et inuijs. exitibus. et reditibus. cum adquisitis. et adquirendis. et delegando imperiali nostra auctoritate. corroboramus et confirmamus. ea uidelicet ratione. ut singulis annis in exequijs patris nostri. Heinrici. pij augusti. ad refectionem fratrum libra una. de supradicta curia persoluatur. Ut autem hoc ab omnibus credatur. et omni tempore inuiolabiliter obseruetur. hanc cartam inde conscriptam et manu propria corroboratam. impressione nostri sigilli insigniri iussimus.

Signum domni Heinrici quarti Romanorum imperatoris augusti. Bruno cancellarius recognouit. Data II. kal. decembris indictione quinta Heinrico quarto Rege Roman. anno VI. imperante. Actum wormatie in cristo feliciter. amen.

Privilegium BURCHARDI cameracensis episcopi. de Filfurt. et Rench. et Kuinei. 1122.

27.

Jn nomine patris. et filij. et spiritus sancti. Burchardus dei gratia cameracensis episcopus. Notum sit omnibus cristi fidelibus. tam futuris quam presentibus qualiter interuentu dni. mei. Heinrici. quarti romanorum imperatoris. altaria in parrochia cameracensi sita. in uillis Filfurt. Rench. et Kuinei. ad prebendam canonicorum. aquensium pertinentia. in perpetuum libera a persona permanere concessi. bona uoluntate. et consilio archidiaconorum nostrorum. saluis tamen redditibus. qui inde iuste persoluendi sunt tam nostris quam ministrorum. Et ut hec concessio mea in perpetuum firma et inconuulsa permaneat. subter signatorum testimonio corroboraui. et sigilli mei impressione signaui. Signum Radolfi archidiaconi. Signum Anselmi archidiaconi. Signum Johannis archidiaconi. Signum Teoderici archidiaconi. Signum Euerardi archidiaconi. Signum Erreboldi prepositi. Signum Oilardi. decani. Signum Gerardi. Widonis. Roberti canonicorum. Siquis autem contra hanc institutionis mee paginam uenire temptauerit. anathema fiat. quoadusque resipuerit et seruantibus sit perpetua beatitudo. Actum anno incarnat. uerbi. M C. XXII. judict. XV. Presulatus uero mei. anno VII. Ego Werembaldus scripsi et subscripsi.

---

2) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd, Seite 224.

Privilegium CUNRADI II. Regis. de Harne. 1138. [1])

28.

J. n. s. e. i. t. Cunradus diuina fauente clementia Romanorum rex secundus. Quam diuina ordinatio Romani regni solium per electionem principum sua misericordia nos conscendere uoluit. parentum nostrorum et predecessorum. catholicorum principum. munificentiam et mores immitari pro uiribus nostris deo auctore decreuimus, et quicquid salubiter ad cultum dei ampliandum pro remedio anime sue. statuerunt. et in priuilegiis firmatum reliquerunt. inuiolabiliter seruare ac renouare statuimus. Notum igitur facimus cunctis cristi nostrisque fidelibus. tam futuris quam presentibus, qualiter predium illud quod est in Harne. quod pie memorie auus noster. Heinricus tercius. Romanorum imperator augustus. ob interuentum filij sui. Heinrici. sancte dei genitricis marie. ecclesie aquis grani sub priuilegio donauerat. deinde filius eius. Heinricus quartus imperasor sua auctoritate et priuilegio firmauerat, eidem ecclesie ste. dei genitricis, marie, ob remedium anime nostre parentumque nostrorum restituimus et regia auctoritate nostra iuxta tenorem priuilegiorum suorum roborauimus. cum omnibus appendicijs. hoc est mancipijs. areis, edificijs. terris. cultis. et incultis, uijs. et inuijs. pratis. pascuis. campis. siluis. uenationibus. aquis. aquarumque decursibus. molis. molendinis. piscationibus. exitibus, et reditibns. quesitis. et acquirendis. et cum omni utilitate. que inde quolibet modo prouenire poterit. firmamus quoque predicte aquensi ecclesie tres aduocatias uidelicet super predictum predium Harne. et super duo loca. Loncius. et Manderwelt. que pertinent ad prefatam ste. Marie aquensem ecclesiam. ea ratione ut quilibet eiusdem ecclesie prepositus. easdem tres aduocatias. libere et absolute teneat. et pro utilitate prefate ecclesie. et fratrum ibidem deo famulantium consilio. cui uelit. neget. tribuat. Similiter prefatum predium. Harne. ad utilitatem suam et fratrum quicunque ibi prepositus fuerit. consilio fratrum disponat. hoc diligenter obseruato singulis annis ut in exequijs aui nostri. Heinrici pij imperatoris augusti. ad refectionem fratrum libra una de suprascripta curti. Harna persoluatur. ut autem hoc immobiliter per omnem successionem temporum obseruetur. hanc cartam inde conscriptam. et manu nostra corroboratam impressione sigilli nostri signari iussimus. nec non et testes annotari sub quorum presentia hec acta et firmata sunt fecimus. quorum nomina hec sunt. Tidwinus ste. Rufine episcopus cardinalis. et apostolice sedis legatus. Arnoldus coloniensis archiepiscopus. Albero treuerensis archiepiscopus. Embrico werzenburgensis episcopus. Albero leodicensis episcopus. Andreas traiectensis episcopus. Warnerus monasteriensis episcopus. Vdo osenburgensis episcopus. Rudolfus halberstatensis episcopus. Willelmus comes palatinus. Wallerannus dux et filius eius. Heinricus. Godefridus. namucensis comes. Arnoldus comes. de cleue. Arnoldus comes de Los.

Signum dni. Cunradi. Romanorum Regis secundi. Arnoldus cancellarius recognouit. uice archicancellarij. Data IIII. jdus aprilis jndict. I. anno dominice incarnationis. M. C. XXX. VIII Regnante Cunrado Romanor. Rege secundo. anno I. regni eius. Actum colonie in cristo feliciter. amen.

---

1) Miraeus I. 386. — Tolner 41.

29.

Privilegium CUNRADI II. regis de Hoenbusch. 1147. [1])

J. n. s. c. i. t. Cunradus diuina fauente clementia Romanor. Rex. secundus. Notum sit omnibus cristi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus. quod Baldericus uir quidam liber. ex liberis ortus parentibus. allodium suum de Hoenbusch cuidam Rodulfo aquensis ecclesie ministeriali. et eius uxori. Ermentrudi libere et sine omni contradictione. per manum Gerardi de Hostade. uiri similiter liberi uendidit. et in liberam possessionem tradidit. jn hac igitur libera allodij sui possessione. predictus Radulphus cum pluribus annis sine liberis permansisset. cepit cum uxore sua de salute animarum suarum sepe et deuote retractare. quibus diuina inspirante gratia. placuit utrumque. ut ipsum allodium ecclesie ste. dei genitricis marie aquis grani. cuius erat ministerialis. in spe salutis eterne amore dei. et gloriose uirginis traderent. et specialiter ad usus fratrum ibidem deo famulantium assignarent. Quod et fecerunt. et per manum Ottonis generi et heredis prenominati Gerardi. per quem acceperant. prefate ecclesie tradiderunt. et nemine contradicente assignauerunt. Ut autem hec traditio per omnem temporum successionem. rata et inconuulsa permaneat. hanc cartam inde conscriptam. et nostra manu corroboratam inpressione sigilli nostri signari iussimus. nec non et testes huius confirmationis snb quorum presentia hec firmata sunt. annotari fecimus. quorum nomina sunt hec. Arnoldus colon. archiepiscopus. Heinricus Leodicensis episcopus. Nicolaus cameracensis episcopus. Warnerus monasteriensis episcopus. Godefridus dux louaniensis. Heinricus de Lemburg. Lodewicus comes de Los. Arnoldus comes de Cleve. Otto comes de Rineke. Heinricus comes de rupe. Godefridus et Herimannus de Kuc.

Signum domni Cunradi Romanor. Regis secundi. Arnoldus cancellarius recognouit uice archicancellarij. Data kl. aprilis. anno dnice. incarnat. M. C. XLVII. jndict. VIIII. Regnante Cunrado Roman. rege secundo. anno VIIII. regni eius. Actum aquis grani in cristo feliciter. amen.

Privilegium GODEFRIDI treverensis maioris prepositi de inuestito trabanensis ecclesie. 1153.

30.

Godefridus dei gratia. treuirensis ecclesie maior prepositus. et corepiscopus. Canonicis aquensis ecclesie imperpetuum. Quum propter temporum uarietates et personarum mutationes. multa in ecclesiasticis transmutantur institutis. ideirco controuersiam inter canonicos aquensis ecclesie. et sacerdotem de trabana nostris temporibus exortam. pro carrata uini. quam eiusdem ecclesie inuestitus ex antiqua institutione aquensi ecclesie debet persoluere singulis annis. dictante iusticia sopiuimus. Nouerit itaque omnium cristi fidelium industria. quod Embrico predicte trabanensi ecclesie inuestitus. presentie nostre adiens. eandem carratam uini. aquensi ecclesie ex iure recognouit. et se deinceps remota tocius ambiguitatis materia. adhibito fratrum nostri capituli testimonio. se daturum firma stabilitate spopondit. Ut autem hec rata deinceps et inconuulsa permaneant. idoneos testes subter notari fecimus. Quorum nomina sunt hec. Rudolphus maioris ecclesie decanus. Bruno archidiaconus. Johannes archidiaconus. Willelmus decanus capituli. Embrico de bennela. Euerwinus de crouia. Wiricus de Wolmersrotde. Cunradus de Guntershusen. Arnulphus de buleche. Jrmenoldus de Wesela. Willelmus de Breidal. Acta sunt hec anno dominice incarationis. M. C. L. III. jndictione XV. Regnante Friderico Romanor. Rege. anno regni eius II. presidente treuirensi ecclesie Hillino archiepiscopo. feliciter. amen.

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 7r Bd. S. 320.

Privilegium FRIDERICI imperatoris de custodia ecclesie. 1165.

31.

J. n. s. e. i. t. Fridericus dei gratia Romanor. imperator augustus. jmperialis clementia bene de se merentibus. bene facere semper consuevit. illis precipue. qui prerogatiua fundationis. et speciali deuotione ac dilectione. atque etiam familiaritate. nobis et imperio dinoscuntur pertinere. ea propter notum facimus uniuersis imperij fidelibus tam futuris quam presentibus. qualiter olim aquenses prepositi. predecessores nepotis nostri. Ottonis prepositi. tum pro remedio anime sue. tum pro fraterna caritate. quedam bona ad preposituram pertinentia. necessitatibus fratrum subuenientes. eis contulerint. Quia uero sine assensu. et absque permissione nostra. et antecessorum nostrorum Regum. et imperatorum. predicta beneficia fratribus aquensibus a prepositis collata. rata. et firma esse non poterant. nos ex indultu clementie nostre. et predictorum fratrum pia peticione. sicut nepos noster. Otto prepositus aquensis. de iure suo eis benigne concesserit. in manu nostra laudauit. ac firmauit. ex eius peticione. omnia quecumque alij prepositi aquenses. huius prepositi antecessores. siue de prepositura. siue undecumque predictis fratribus concesserunt. et contulerunt. nos una cum preposito. et prepositus una nobiscum. concedimus et donamus. specialiter. et nominatim. decimam de Rithterca. et IIII. libras de custodia. quarum una datur ad officinm cantoris. relique III. ad tres refectiones. scilicet in diuisione apostolorum. in festo ste. Marie magdalene. et in festo sti. Martini. jtem de custodia. XV. sol. qui dantur in LXX. pro oblatione corporalis De erclentia etiam XII. sol. colon. qui dantur in. IIII. feriam pontecosten. jtem XII. sol. colon. qui dantur de eadem curia in augusto. et VIIII. sol. colon. qui dantur in festo. sti. Martini. de predicta curia. et cetera omnia. quecumque ab alijs prepositis. et ab hoc preposito. Ottone eisdem fratribus concessa sunt et collata. presenti priuilegio stabilimus. et ut rata permaneant. eis confirmamus. et alia quedam que dantur de custodia scilicet unicuique fratrum ulnam candele in festis. quando. VIIII. lectiones leguntur. et de cellario prepositi. dantur. in VI. sollempnitatibus. unicuique fratri scopus uini. uel una denariata. jn pasca. in pentecosten jn ascensione. dni. in assumptione ste. Marie. jn festo omnium sanctorum. jn natale domini.

Signum domni Friderici Romanorum imperatoris inuictissimi. Ego cristianus sacri palatij archicancellarius. et mogunt. sedis electus recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M. C. LX. VI. jndict. XIIII. Regnante domno Friderico. Romanorum imperatore uictoriosissimo. anno regni eius. XIII. jmperij uero XI. feliciter. amen. Data apud aquis granum. VI. jd. januarij.

Privilegium FRIDERICI imperatoris de uillicatione. et officiis. in trabana. et Kezelheim. 1174. [1])

32.

J. n. s. e. i. t. Friedericus diuina fauente clementia Romanor. imperator augustus. Nostre serenitatis clemen tia. celesti gratia super gentes et super regna. imperiali maiestate sublimata sanctis dei ecclesijs tenetur prouidere. et fideli. prudentique discretione. iuste et misericorditer consulere. Quia uero iuxta ramos ordinante caritatis specialius familiari prerogatiua aquensis ecclesia. sedes et caput regni. inter cis alpinas resplendens ecclesias. regali. et imperiali tripudiat fiducia. iuxta diuorum angustorum. nostrorum uidelicet antecessorum consuetudinem. interuentu etiam dilecti nostri. A. treuerensis archiepiscopi. aquensis quoque ecclesie canonici aures clementie nostre. iustis fidelis nostri Stephani eiusdem ecclesie decani. et fratrum. inibi deo famulantium precibus. benigne prebuimus. et calamitatibus. et annuis eorum iniurijs misericorditer compaciendo succurrimus. Erat namque consuetudinis in eadem nostra ecclesia. ut prepositus eius. scultetos in quibusdam bonis ec-

1) Allgem. Archiv. etc. von Ledebur. 10r Bd. S. 225.

clesie non tamen absque consilio fratrum ordinabat, per quos intolerabili dampno et iniuria, et frequenti inter prepositum et fratres controuersia emergente, pax ecclesie turbabatur, et regia maiestas super hijs multa et magna querimonia, pulsabatur justis igitur fidelium nostrorum precibus, pro salute et remedio maiorum nostrorum et diuine pietatis respectu nobis, dilecte quoque thori nostre socie, Beatrici, liberisque nostris conciliande, Ottoni aquensis ecclesie preposito dilecto nostro cognato suggerendo iusta ratione persuasimus, quatinus duarum curiarum, scilicet Trabana et Ketzelheim, officia, seu uillicationes, intuitu dilectionis nostre, fratibus aquensibus ita libere resignaret, ut ipsi de cetero pro uelle suo ad utilitatem et honorem aquensis ecclesie de eisdem curijs absque preposito, libertatem perpetuam habeant, ea uidelicet ratione, ut idem fratres aquenses pactum uini quod dabatur preposito a prefatis scultetis, de cetero annuatim persoluant, de ratione pacti, neque augentes, neque minuentes. Pactum ergo curie trabene quod debent fratres annuatim preposito, sunt VI, carrate uini, et IIII. ame, una quoque ama et dimidia, que dabitur de hac carrata, quam inuestitus trabanensis ecclesie de censu eiusdem ecclesie, annuatim debet aquensi ecclesie, insuper una marca argenti. Pactum uero de Keszeheim, et eius appenditio Winningen, sunt, V, carrate uini, et una ama, una quoque marca argenti. Preterea diligenter adtendendum est, et nostre carte infigendum, quod aquensis prepositus de obsequio quod aquensis ecclesia statutis temporibus debet archiepiscopo treuerensi, et eius archidiacono, de pretitulatarum curiarum ecclesijs, terciam partem debet, persoluere, et pro eisdem ecclesijs, et curijs fortiter stando, uiolentis et iniuriatoribus se opponere. Ut igitur preordinata hec omnia incommutabilia perpetualiter maneant, presentem paginam inde conscribi, et sigillo nostro iussimus insigniri, statuentes et imperiali auctoritate precipientes, ut quecumque persona huic ordinationi obuiare presumpserit, L. libras dimidiam partem nobis, reliquam uero aquensi ecclesie, auri purissimi componat, et si prepositus hoc ipsum infringere attemptauerit, irrecuperabiliter prepositura careat. Huius rei testes sunt, Arnoldus treuerensis archiepiscopus, Wichmannus magedeburgensis archiepiscopus, Reinardus Wirzeburgensis electus, Teodericus metensis electus, Cunradus, Wormacensis electus, Petrus tullensis episcopus, Gregorius, prumensi abbas, Dux, Matheus, comes Hugo de Dashurch, comes Heinricus de Ditse, Warnerus de bonlant, et ali quam plures.

Signum domni Friderici Romanor, imperatoris inuictissimi. Ego Godefridus cancellarius uice maguntini archiepiscopi, et archicancellarij recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis, M, C, LXX, IIII, jndict, VII, Regnante domno Friderico, Romanor, imperatore, gloriosissimo, anno regni eius, XXIII, imperij uero XX. Data apud Intram, X, kl, junij.

Privilegium **FRIDERICI** *imperatoris de altimonlensibus, fratibus.* 1174. [1]

33.

J. n. s. e. i. t. Fridericus diuina fauente clemencia Romanor, imperator augustus, Ecclesiarum iura priuilegiorum auctoritate illibata conseruare et rationabilia pacta, que inter ecclesiasticas personas uertuntur approbare imperialis tenetur auctoritas presertim cum uoluntatem priuilegia petentium, et equitas adiuuet, et pietas non derelinquat, jntuitu ergo diuine remunerationis, pacis concordiam, inter aquensem ecclesiam, et fratres altimotenses, nostra auctoritate statuimus, et contractum bone fidei inter eos, et fieri, et confirmari precipimus. Notum igitur esse uolumus omnibus cristi fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod quicquid iuris habet aquensis ecclesia in territorijs ecclesiarum, Reng, et chiweneis, id bona fide, et nostre

---

1) Mirae I, 544.

clementie gratia mediante. accedente tam prepositi quam decani. omniumque fratrum conuientia. Fratribus concessit altimontensibus in usu. et usufructu. proprietatis sibi dominio retento. et saluo iure tocius sue familie. Si quis uero de eadem familia. uel alia cuiusque conditionis persona. de eisdem bonis contra ius aliquid sibi usurpauerit. liberam habeat abbas potestatem reuocandi in proprietatem aquensis ecclesie. et usum altimontensium fratrum. iuxta tenorem legis et iuris illius patrie. Eius autem contractus. formam hanc. consilio curie nostre. fideles nostri aquenses canonici. et altimotenses monachi. interposuerunt. quatinus annuatim. X. marce coloniensis monete. XII. solidis pro marca computatis. aquensi ecclesie a predictis fratribus aquisgrani soluantur. cui solutioni nullus euentus iguis. uel aque. nullum infortunium sterilitatis. uel guerre. uel alicuius rei importuna calamitas. aliquid aquensis fratribus in ea summa possit. uel debeat afferre preiudicium. Terminus quoque persolutionis huius in pentecosten. ea lege prefixus est. ut si alicuius necessitatis casu pretaxato tempore predicta non celebretur solutio. altimontenses fratres. XL. dierum inducias habeant. quod si nec soluerint tunc. preordinata expiret conuentio. Preterea generaliter inter eos utrobique statutum est. ut quicunque abbas illi ecclesie preesse ceperit. infra annum et diem sue promotionis. necesse habeat capitulo aquensi. decano uidelicet. et fratribus se presentare et proprietatem predictarum ecclesiarum. cum plenitudine dominij ipsis recognoscere. Quod si nouus aliquis illius cenobij abbas quacunque ex causa distulerit. ab iure sibi preassignato. tam ipse quam fratres cadant. et fratres aquenses integritatem predictorum bonorum sibi uendicabunt. Ut autem predicta omnia perpetualiter rata permaneant. sigillo nostro cum appositione sigilli aquensis. ecclesie. presentem cartulam insigniri. precepimus. Huius siquidem rei testes sunt. Rodolphus leodicensis episcopus. Erlembardus stabulensis abbas. Florentius indinensis abbas. Wortuwinus imperialis aule protonotarius. Heinricus comes de Dietse. Albertus de Grumbach. Warnerus de bolant. Constantinus de berge. Cono de Munzenberg. et alij quam plures.

Signum domni Friderici Romanor. imperatoris inuictissimi. Ego quoque Godefridus cancellarius. uice cristiani mogunt. archiepiscopi et archicancellarij. recognoui. Acta sunt hec anno dnice. incarnationis. M. C. LXX. IIII. jndictione. VII. Regnante domno Friderico. Romanor. imperatore gloriosissimo. anno regni eius XX. III. jmperij uero XX Data aquis grani pridie kl. aprilis feliciter. amen.

Privilegium ARNOLFI trevirensis archiepiscopi de inuestito trabanensis ecclesie. 1180. [1])

34.

J. n. s. e. i. t. Arnoldus dei gratia. ste. treuirensis ecclesie archiepiscopus. omnibus ste. ecclesie fidelibus. in cristo pie uiuere. calumpniantium uersutia per singula pene temporum momenta. inualescens. merita rerum gaudet subuertere. et a stabilitate sua ueritatis ordinem triumphat immutare. Ea propter sta. dei ecclesia sibi consulens. remedio scripturarum. rerum et negotiorum memoriam eternari instituit. jnde igitur est. quod nos dilectis fratribus aquensibus in posterum consulentes omnes cristi fideles. tam futuros quam presentes. scire uolumus. quod predicti fratres frequenter nostram adierunt presentiam. conquerentes indignam et intolerabilem in trabana se sustinere. et diu sustinuisse iniuriam. Asserebant namque annuatim Karratam uini ab inuestito trabanensi sibi deberi quam magister Ekhardus Goslariensis prepositus ecclesiasticus in trabana. aliquod annis non persoluerat. Utraque igitur parte. fratribus scilicet aquensibus. et ipsi ecclesiastico presente. et nostro adiutorio assistente. allegationibus hinc inde propositis. ordine iudiciario pro sepedictis fratribus lata est sententia. et necessitate probationis ad eos translata. adiudicata est eis ipsa

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. Seite 228.

possessio. et consequenter secundum iuris formam rerum detentarum restitutio. Nos igitur utrique parci diligenter consulere cupientes. in nos fecimus compromittere fide hinc inde accepta. fratribus igitur aquensibus nostro mediante consilio. debitam pensionem uini remittentibus. goslariensis prepositus. trabanensis uidelicet inuestitus. annuatim uini Karratam. Karli mensure aquensi recognouit ecclesie. et fide nobis data ut diximus. de cetero eandem uini carratam se annuatim soluturam repromisit. Ut igitur inposterum super hac re omnis expiret calumpnia. et firma. et inconuulsa stabilitate hoc ius aquensi perpetuetur ecclesie. Sub anathemate precipimus. et insuper presentem cartulam sigilli nostri auctoritate communiri. et idoneos testes adhiberi decreuimus. quorum nomina sunt hec. Radolfus maioris ecclesie prepositus. Johannes decanus. Godinus prepositus. Teodericus. de marceto. Wezelo. cantor. Fridericus. custos. et alij quam plures maioris ecclesie fratres. Conradus abbas sti. maximini. Lodewicus. abbas sti. Eucharij. Godefridus. abbas de Sprenkirsbach. Reinerus abbas. sti. Martini. Ramboldus. abbas ste. Marie ad Martires. Fratres sti. Symeonis. Folmarus. decanus. magister Erbero. magister Rodulphus. de sto. Paulino. Acta autem sunt hec anno uerbi incarnati. M. C. LXXX. jndictione XIII. Friderico imperante. Heinrico filio eius regnante. Arnoldo treuiror. archipresule.

Privilegium ARNOLFI trever. archiepiscopi de monachis corbeiens. 118.

35.

A. dei gratia ste. treuirensis ecclesie archiepiscopus. omnibus cristi fidelibus. ad quos presens peruenerit pagina salutem et omne bonum. Quia habundans cautela propter temporum maliciam est necessaria. presentem cartulam iustis et instantissimis precibus fratrum aquensium gratanter indulsimus. quam seriem negotij et cause sue testimonium signari decreuimus. Notum igitur esse uolumus tam presentibus quam futuris. omnibus ste. ecclesie filijs. ad quos presens pagina peruenerit. quia fratres aquenses querimoniam ad nostram detulerunt audientiam super iniuria quam a monachis corbeiensibus se sustinere asserebant. per quos decimam in trabana sibi iniuste auferri conquerebantur. quam ipsa aquensis ecclesia centum annorum perscriptione. immo per amplius legitime et quiete se possedisse dicebat. et ad eius rei probationem. secundum iuris rationem se instanter exibebat. jnstantia denique ipsorum fratrum aquensium admoniti. pretaxatos monachos. canonicis datis inducijs. semel. iterum. et tercio. litteris nostris citauimus. quibus omnibus. et singulis nostris citationibus. idem monachi supersedentes. uenire. aut responsalem pro se mittere neglexerunt. Cum igitur fratres aquenses qui presentes erant se graui expensa pressos. et grauari conquerentes. sententiam pro se ferri. in elemosina dni. imperatoris. et pro misericordia dni. pape postularent. nec induciari aliquatenus iudicialem sententiam sustinerent. tanta auctoritate et rigore compulsi iusticie. sententiam requisiuimus. Communicato ergo ste. treuerensis ecclesie consilio. sub presentia. tam clericorum quam monachorum. adiudicatum est. quia in possessione sua fratres aquenses essent restituendi et fructus detenti. et apud sequestrum repositi. ipsis essent reddendi. Et quero negotio assessores iudices et testes. interfuerunt hij. quorum nomina sunt hec. dnus. Rodulphus maior prepositus dnus. Johannes decanus. dnus. Godinus prepositus. Teodericus de Marceto. Wezelo cantor. Fridericus custos. et alij quam plures maioris ecclesie fratres. Conradus abbas sti. Maximini. Lodewicus abbas sti. Eucharij. Godefridus abbas de Sprenkirsbach. Reinerus abbas sti. Martini. Ramboldus abbas ste. Marie ad martires. Fratres s. Sijmeonis. Folmarus decanus. magister Erbero. magister Rodulfus. de sto. paulino. Acta autem sunt hec anno incarnati uerbi. M. C. LXXX. jndictione XIII. supradictis addendum esse decretum est. quia si monachi reclamare noluerint. aquensem ecclesiam pro sua stare iusticia.

Privilegium HEINRICI V. Regis de tiliz. 1185. [1])

36.

J. n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia Romanor. rex. De innata et consueta regie largitatis munificentia ad starum. ecclesiarum possessiones ampliandi. earumque statum in sua integritate conseruandum. grato intendimus affectu. in eo qui dat salutem regibus salutarem eterne remunerationis fructum expectantes. Nouerit igitur uniuersorum regni nostri fidelium tam presens etas quam successura posteritas. quod princeps noster Godefridus dux louanie terram quandam que dicitur tiliz in parrochia haristalliensi sitam. quam de allodio regni in beneficio tenebat. in manus nostras ad usum aquensis ecclesie libere resignauit. datis ei obhoc ab ecclesia aquensi ducentis et quindecim marcis argenti. filijs suis. Heinrico milite. et alberto clerico presentibus. et eandem terram cum eo resignantibus. Ea uero plenitudine et integritate una cum filijs suis terram illam nostre resignauit potestati. ut nec ius aduocatie. nec aliquod ius aliud. alicuius potestatis. uel sibi. uel posteris suis reseruaret. uel in causa criminali. uel pecuniaria. aut alio quocumque casu emergente. jta quoque ut nullus in loco illo iudex ordinetur. nisi quem ecclesia aquensis instituerit. Ad maiorem etiam eiusdem aquensis ecclesie commoditatem. et cautelam instituit. ut habitatores predicti loci tiliz. communionem habeant omnium utilitatum. Haristalliensi parrochie. tam in pascuis. tam in aquis. quam in siluis. ceterisque commoditatibus. ad communes usus spectantibus. Nos igitur zelo diuine retributionis inuitati. prenominatum allodium nostrum tiliz beate uirgini Marie in ecclesia aquensi. et canonicis deo in ea militantibus. in omni ea qua predictum est libertate a duce resignatum. regie maiestatis auctoritate contradidimus. eodem Godefrido duce presente. et super hac nostra traditione gaudente. Ut autem huius nostre donationis liberalitas in omne euum perpetuam habeat firmitudinem presentem inde paginam conscribi fecimus. et auctoritatis nostre sigillo communiri. Huius rei testes sunt. Philippus coloniensis archiepiscopus. Rodulphus leodicensis episcopus. Herimannus monasteriensis episcopus. Philippus comes Flandrie. Conradus palatinus comes reni. Hinricus. dux de Limburch. comes Guliacensis. comes Gerardus de Lon. comes Teodericus de Hostaden. Adolfus maior decanus de colonia. Conradus prepositus sti. Adalberti. in aquis. Marquardus dapifer. dni. regis. Warnerus de Rode. Willelmus aduocatus aquensis. Cono de Minzenberch. Heinaicus Marcalcus de Callendin. Cono. Gerardus. Gozmarus. Herimannus. de Wislesmesdorf. et alij quam plures.

Signum dni. Heinrici Romanor. regis gloriosissimi. Ego Godefridus cancellarius uice Cunradi maguntine sedis archiepiscopi. et germanie archicancellarij recognoui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M. C. LXXX. V. jndictione. III. Regnante domno Heinrico Romanor. rege inuictissimo. anno regni eius XVI. Datum apud aquis grani mense octob. VIII. kl. Nouembris. feliciter. amen.

Privilegium GODEFRIDI ducis Louanie de tiliz. 1185. [2])

37.

J. n. s e. i t. amen. Ego Godefridus dux Lotharingie. considerans quia dies hominis breues sunt. super terram. et sicut flos agri gloria uite presentis pertransijt. anime mee. et antecessorum meorum uolens consulere. attendens etiam exuberanti malicie dierum. habuntanti cautela succurrendum esse. notum esse

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. S. 234.

2) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. S. 230.

uolo omnibus imperij. et regni fidelibus. tam futuris quam presentibus aream illam in banno haristalliensi que dicitur tiliz. tunc siluosam. in manus domni Heinrici Romanorum regis ad opus aquensis ecclesie me resignasse. filijs meis Heinrico milite. Alberto clerico. presentibus et resignantibus. Sciant uero uniuersi fideles cristi cum omni iure meo. salua omni libertate. in aquis. in pascuis. haristalliensis parrochie. eandem terram. ipsam etiam aduocatiam eius loci. ea lege. et conditione. predicto domno regi me assignasse. quatinus in nullam aliam personam transferretur. sed regno tantum et imperio pro perhenni gloria. et firmissima tuitione nobilis et regalis aquensis ecclesie reseruetur. Quia uero propter transitoriam rerum memoriam. et inualescentem calumpniantium uersutiam habundans cautela est necessaria. hanc presentem cartulam sigillo mei testimonij in argumentum ueritatis communiri. et testes idoneos qui presenti interfuerunt traditioni. subter assignari decrevi:

Nomina testium Philippus colon. archiepiscopus. Rodulphus leodicensis episcopus. Herimannus. monasteriensis episcopus. Adolfus maior decanus in colonia. magister Cunradus prepositus sti. Alberti. Aquenses fratres. Albertus uicednus. magister Werembertus aquensis scolasticus. Heribertus niger. Heribertus abbus. Willelmus comes iuliacensis. Cono de Minzenberg. Warnerus de rode. Marquardus dapifer regis. Willelmus aduocatus aquensis. Cono. Gerardus. Gozmarus. et alij quam plures. Facta autem sunt hec. et annotata in curia leodij celebrata mense septemb. anno incarnati uerbi M. C. LXXXV. indict. III. Friderico Romanorum imperatore. Heinrico filio eius regnante. Rodolpho leodicensi episcopo. Godefrido. imperialis aule cancellario et aquensi preposito.

Privilegium GERLACI sigebergensis abbatis. 1191.

38.

J. n. s. e. i. t. Gerlacus dei gratia humilis. Sibergensis abbas. et eiusdem ecclesie conuentus. et Cunradus eadem gratia aquensis decanus. cum uniuersitate fratrum. omnibus ste. ecclesie filijs ueritatem diligere. et in cristo pie uiuere. Notum esse uolumus uniuersis cristi fidelibus tam presentibus quam futuris. annis quadraginta et amplioribus ecclesiam sibergensem aquensi decano pro nona de Flattena et de Munfendorp. in terris. et uineis. cultis. uel colendis. et in animalibus annuatim duas marcas colon. duas libras piperis. duas etiam cijrotacas. quatuor denarios ualentes. et duos coturnos nocturnales. quales in claustro fieri solent meliores. infra octauam sti. Martini aquis persoluisse. jnsuper ecclesia sibergensis tria hospicia singulis annis debet decano. cum X. equitatibus. si uenire uoluerit. sin autem nullam redemptionem hospitiorum ei facere tenetur. Procedente uero tempore. in diebus nostris ex consensu parcium placuit ecclesiam sijbergensem predicto decano. VIII. Marcas conferre. quibus ipse duas addere deberet. ex quibus quicquid annualis census acquiri posset. ad supplementum. antique pensionis decano attineret. jtaque utriusque partis uigilanti consilio prouisum est. ad excludendas tergiuersantium calumpnias. ad roborandam suam cuique iusticiam presentem cartulam conscribi. ut predicta annua pensio in perpetuum rata. et inconuulsa seruetur. Nichilominus in argumentum fidei. et ad auferendum omnem malignantium calumpniam. statutum est. ut hoc rescriptum. signatum sigillo aquensis ecclesie maneat apud sibergenses. et uersa uice. idem insigni. tum sigillo sijbergensis ecclesie recondatur. in ecclesia beate Marie aquis grani. Huius rei testes sunt. canonici aquenses. Heinricus cantor. Wallerannus. Radulphus. Albertus camerarius Werembertus magister scolarum. et plures alij. Et de conuentu sijbergensi Hildegerus. et Godescalcus priores. Philippus. Gerlacus. Leo. Walpertus. et ceteri. actum sollempniter et confirmatum. in capitulo aquensis ecclesie. anno uerbi incarnati. M C. LXXXXI. jndict. VIII. anno I. imperij. Heinrici quinti imperatoris.

Privilegium HEINRICI VI. imperatoris de Sinceka. 1191.

39.

Henricus. dei gratia. Roman. jmperator. et semper augustus. jmperialis prepositi nostri est. capellam nostram aquensem. pijs promouere studijs. ut in his quibus a prima sui fundatione. ex gratuitis imperatorum et Regum beneficijs. ad diuini cultus decorem collatis. uarijs ex causis inminuta perpenditur. felicitatis nostre tempore aliqua ex parte reparetur. eius quippe augmentum. et statum laudabilem desiderare debemus. in qua regnandi inicium. et primam percipimus unctionem Unde significato nobis defectu. quem fratres eiusdem capelle, in curte de Sinzecha. cuius due partes ipsis. tercia uero preposito dinoscitur pertinere. multo ex tempore sustinuerunt. exinde quod propter reparationem uinearum. que perturbationis quodam tempore succise et penitus uastate. non nisi in quatuor Karratis preposito et fratribus in octo. artissimo tunc pacto respondere poterant. et usque ad presentis temporis ubertatem. et uinearum multiplicationem. hec tam arta pactio in dampum ecclesie obseruabatur. nos consuete pietatis humanitate inducti. ecclesie et fratribus. eoquod sublata sit necessitas que sic urgebat a defectu pariter et iniuria duximus consulendum. jmperiali igitur auctoritate decernimus. ut fratres de cetero. nullo mediante malo ingenio. aut subtilitate suspecta. duas in predicta curte tocius utilitatis. in uino et annona. partes recipiant. prepositus uero terciam. Ut autem hec nostra diualis ordinatio. rata et omni tempore inconuulsa permaneat. presentem inde paginam. conscribi et sigilli nostri impressione iussimus communiri. Statuentes et maiestatis. nostre uigore firmissime sanctientes. ut nec prepositus. nec aliqua in posterum cuiuscumque conditionis persona. hanc ordinationem nostram conuellere aut temeritatis ausu. aliquatenus illi audeat contraire. Ex hoc igitur modico quo predictis fratribus in iure suo assistimus. potiora postmodum a nobis optinendi fiduciam ministramus. Data in castris circa Neapolim. per manum Heinrici prothonotarij. VI. jdus. junij.

Privilegium CUNRADI. aquensis decani. et prepositi sti. Adalberti, 1192.

40.

In nomine domini amen. Ego Cunradus dei permissione decanus ste. Marie. et prepositus sti. adalberti in aquis. Notum facio omnibus presentibus et futuris. quod omnem possessionem illam. quam emi in pago Connesdorp. infra terminos de Sinceke. constituto. pro remedio anime mee et parentum meorum. tradidi ecclesiis ste. Marie. et sti. Adalberti. et monasterio sti. Johannis in porceto. et quicquid iuris in predicta possessione habui. in ecclesias easdem contuli. et ab eisdem sub annua pensione. uidelicet dimidie marce. quousque uiuerem recepi. sub hoc tenore. ut decanus sti. Adalberti. post decessum meum. prelate possessionis amministrationem. et gubernationem. habeat. ipse. et omnes successores sui. hac conditione quod in aniuersario meo. ecclesie beate marie. detur marca. quorum decem solidi distribuentur fratribus. sex denarij. decano. et camerario dabuntur. sex uero sacerdoti. et suis ministris. Duodecim denarij. hospitibus ecclesie. Ecclesie uero beati alberti. dimidia marca tradetur. hoc pacto. ut quinque solidi distribuantur inter fratres et de duodecim denarijs tres habeat camerarius. et nouem distribuantur hospitibus illius ecclesie. demum ferto dabitur monachis. beati Johannis in porceto ad refectionem. His omnibus hoc modo diuisis. et distributis. quod super est de prouentibus iam sepius dicte possessionis. decanus beati Adalberti. in suos pios et licitos usus conuertat. Possessio empta. et iam dictis ecclesijs collata. hec est Area cum pomerio. et orto. domibus et orreo. edificata. tria iugera uinearum. et dimidium. quorum unum. in Sinceka. secundum in Westheim. est situm. tercium et dimidium. in ipsa uilla connesdorp. ibidem sunt XXXVIIII.

iugera terre. culte. et quinque nemoris et duo parua prata. Ut autem hec elemosina rata et inconuulsa imperpetuum maneat. hanc cartam conscripsi. et cam munimine mei sigilli roboraui. Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M. C. XC. II. jndictione X. hujus cartule actioni interfuerunt. legittimi testes. canonici uidelicet ste. Marie. Heinricus cantor. Werembertus magister. Heinricus celerarius. Ricolphus camerarius. Albertus. Radolphus. Steppo. Johannes. Canonici sti. Alberti. Herimannus. decanus. Reinerus. Heinricus. Heinricus. Engelbertus. Heinricus magister. monachi porcetensis ecclesie. abbas Arnoldus. Zacharias prior. Tiricus. laici quoque. Tiricus. Bertolphus. Johannes. Cono. Gerardus. Alij quam plures. tam clerici quam laici.

Lieber Privilegiorum oder Chartularium des hiesigen Münsterstifts, welches sich in dem Archiv desselben befand, hat der verstorbene gelehrte Geschichtsforscher und Pfarrer zu Afden, ERNST copirt und ein Jnhaltsverzeichniss desselben angefertigt, das noch vorhanden ist, nach welchem hervorgeht, dass dieses Chartular nicht nur die obigen 40 *Urkunden enthielt, sondern auch noch: Privilegium Heinrici IV. Regis de Capella in Luuesberg et Vals de* 1059, *Decretum Nicolai Pape de electione summa Pontificis, und was hier folgt, enthalten habe.*

41.

Hec sunt reliquie que continentur in feretro bte. Marie aquis grani. de uelamine, quod habuit in capite suo. de uestimentis dni. cum quibus crucifixus est. et scandalia dni. de capillis bte. M. v. de pannis dni. quibus in presepio fuit. inuolutus et de ipso presepio. de fascia cum qua ligatus fuit. de spongia dni. de ligno dni. de sepulcro dni. de Lapide calvarie montis. super quem sanguis dni. effusus est. de capistro quo manus dni. ligate fuerunt. de linteo quo dnus. pedes discipulorum suorum tersit. de capillis et uestibus sti. Joh. Baptiste. de reliquiis apostolorum Petri et Pauli. Maxima pars corporis bti. Jacobi apostoli. corpora ss. apostolorum Symonis et Jude. de reliquiis sti. Mathei apostoli et ewangeliste. de catena s. Petri. de reliquiis sti. Marci ewangeliste. de manna que inuenta fuit in sepulcro sti. Joh. apli. et euang. Barnabe apli. sunt etiam in predicto feretro de reliquiis ss. Martyrum Stephani predyaconi. Laurentij. Vincentij. Mauricij. Dionisij. Georgij. Geruasij. et Protasij. Remedij. Juliani. Anastasij. Pantaleonis. Nicetij. Desiderij. Sulpicij. Audemundi. Columbarij. Apollinaris. Vitalis. Ferrucij. Cypriani. Cassij. Lemmij. Concordij. Saturnini. Crispini. Eleutherij. Vedasti. Leopardi. Sabini. Leodegarij. de capillis sti. Bonifacij et de Barba eius et de linteo Sanguineo. quo caput eius inuolutum est. Albini. Pontiani. Maxentij. Continentur quoque reliquie ss. confessorum: Syluestri. Gregorij. pp. Martini epi. Lazari quem suscitauit dnus. Marcelli. Donati. Leonis pp. Saluij. Ermogenis. Amandi Ysaac. Romuli. — Borodis. Manni abbatis. Germani. de capillis ste. Marie Magdalenis. quibus pedes dni. tersit. de reliquijs ss. uirginum Agathe. Cecilie. Eufemie. Perpetue. Aldegundis. Tecle. Theodosie. Petronelle. Susanne. Corone. Balbine. Felicitatis. secunde et aliorum apostolorum. Martyrum. Confessorum. Uirginum. quorum nomina et numerum deus scit.

Dann folgt ein Register der Güter des Stifts, omnia haec scripta sunt, *fährt Ernst fort,* eadem manu, eaque eleganti, sub finem seculi XII. uel initio sequentis etc.

Sequitur alia manu minus eleganti Seculi XIII. Sententia de juribus aduocati jupiliae. etc.

Sequitur alia manu Privilegium Heinrici VI. jmp. de Sinziga de anno 1192. atque haec omnia explent 78 folia subjunguntur 16 alia, in quibus nitide seculo XIII. uel XII. descriptus est ordo ad benedicendum Regem item - Reginam etc.

---

42. [1]

Jn Aquisgrani palatio sunt II dominicales mansi et II. bonuaria, aspiciunt ibi VIII mansi, quorum unusquisque solvit II porcos. II sol. valentes, et X. modios auene et V. carratas ligni. et III. pullos et XV ova et exercet II. bonuaria et servit XII dies. Curtila soluunt IIII. sol. et II. den. sunt ibi II mansi elemosine soluentes VIIII. sol. et II frissingias ouinas. Sunt ibi II. appendicia jmperatoris, ex quibus habent fratres decimam et nonam. Jn Ritherche est cappella, ad quam pertinet decima pars et nona de labore dominicali comitis Hezelon. insuper decima eiusdem predii. Jn Giminiaco est cappella, ad quam pertinet decima et nona de labore dominicali insuper decima eiusdem predii, in eodem predio sunt constructe II cappelle ob commoditatem ciuium. ad unam pertinet I mansus. et ad aliam V. sol. Jn Erclenze sunt V. dominicales mansi, aspiciunt ibi XXIIII mansi et dimidium, quorum unusquisque solvit XX denarios et duos porcos XII. denar. ualentes et II pull. II carratas lignorum, et exercet III bonuaria, et seruit per totum annum si opus fuerit. jn eodem predio sunt VIII. mansi quos seruientes tenent. Est etiam ibi I. camba soluens XXX. modios. Est etiam ibi molendinum solvens XXX. modios. Est etiam ibi terra soluens XVIIII. den. Haistoldi soluunt I. libram. Est etiam ibi terra elemosine soluens. XV. den. Jn Ostrich sunt IIII. dominicales mansi, et VII. bonuar. et dimidium aspiciunt ibi XVI. mansi tale seruitium et tributum reddentes sicut superiores. Sunt etiam ibi preter hos XI. mansi unusquisque ex his soluens V. sol^{ds}. Sunt etiam ibi IIII. mansi quos seruientes tenent Est etiam ibi terra nouiter exculta, nichil adhuc soluens. Est ibi mansus I. penitus uastatus. Sunt ibi V. molendina. de uno exeunt XIIII. modii, de secundo XII. modii, de tercio X. modii, de quarto VIII. modii. de V^{to} XIIII. modii. De Thelonio IIII. sol^{ds}, de Sylua exeunt XX. modii auene et XX. pulli. Curtilia sunt ibi soluentia III. sol^{ds}, ad ecclesiam eiusdem predii pertinet I. mansus et VIII bonuaria et V. mancipia, insuper decima ipsius predii. Cujus decime terciam partem tenet sacerdos ibi seruiens Jn Honberch sunt IIII. mansi soluentes XXX. sol^{ds} nona de Haslo et de Linna, de Sualmo pertinet ad Ecclesiam aquensem, quo tamen ab usu fratrum penitus rapiuntur. Jn Rikela sunt VI. dominicales mansi, aspiciunt ibi IIII. mansi, ex quibus tenet villicus I. in beneficio, ceteri seruiunt et soluunt. Soluit autem unusquisque II. porcos, XII. den. ualentes et VIII. modios brasii, et III. sol^{ds}. unum bouem ad Angaream. Jn uno anno soluunt IIII. pullos et X. oua, in alio II. pullos et XX. oua, et exercet IIII. bonuaria et seruit XXVIII. dies Curtilia soluunt XVII. denarios, et de Mortier similiter. Jn Harmala est dimidius dominicalis mansus. Aspiciunt ibi II mansi hoc idem reddentes quod superiores uidelicet de Rykela. Est ibi ecclesia ad quam pertinet decima totius illius predii. Jn Mortario sunt II. dominicales mansi et dimidium. Aspiciunt ibi IIII. mansi et dimidium, quorum unusquisque soluit XIIII. den. et X. modios annone, et II pullos, X. oua, et exercet II. bonuaria, seruit XXXVI. dies. Est ibi ecclesia ad quam pertinet I. mansus. Jn Faurili campo est mansus I. Soluens XVI den. et XVIII. modios auene, II. pullos et X. oua. Jn Valle est I. mansus soluens V. sol^{ds}. est ibi camba soluens XL. modios annone. Haistoldi soluunt XII. solidos. Jn Retines est unus dominicalis mansus et dimidium aspiciunt ibi XI. mansi et quarta pars mansi, unusquisque ex his soluit I. porcus XII. den. ualentem. cum XVI. den. III. pullos et XV. oua, et unus ex his mansis supereminet alios XVII. den. Est etiam ibi camba soluens XXV. modios. Jn Engelzeies est I. dominicalis mansus. Aspiciunt ibi duo mansi, unusquisque soluit XVIII. modios auene et XVI. den., II. pullos X. oua, et exercet II. bonuaria. Jn Asneit sunt V. mansi et dimidium soluentes inter omnes II. solidos et IIII. den. et seruit unusquisque per circulum anni in secunda feria, et soluit I. pullum et V. oua. Est etiam ibi pratum ferens XII. carratas feni. Est ibi terra exstirpata soluens VIII. den.

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 7r Bd. Seite 301.

in ualle sunt V. bonuaria dominicalis terre. Aspicit ibi I. mansus et I. bonuarium serviens per circulum anni in secunda feria, aut aratro aut plaustro. Sunt etiam ibi II. molendina soluentia XVI. modios. Sunt ibi V. curtillia soluentia XVIII. denarios. Haistoldi soluunt XII. solidos. Jn Juppilla sunt II. dominicales mansi, aspiciunt ibi XII. mansi quorum unusquisque soluit XXX. den. et I. porcum VI. den. ualentem, et II. pullos, X. oua et exercet II. bonuaria, seruit X. dies. Preter hos mansos tenet uillicus I. mansum. Supersunt ibi mansi II. soluentes dimidiam libram. Curtilia soluunt XXII. denarios. Haistoldi soluunt V. solidos. Est ibi mater ecclesia ad quam pertinet de omni dominicali labore nona et decima, et insuper decima ipsius predii et de piscibus. Jn Uuandala est I. dominicalis mansus et III. bonuaria. Aspiciunt ibi VI. mansi, sextus soluit XL. denarios, et de ceteris unusquisque soluit II. porcos unum XII. den. ualentem, et alium III. solidos ualentem, et soluit XVI. den. et II. pullos, et XV. oua, et exercet II bonuaria, seruit X. dies. Jn Kesneies est I. dominicalis mansus. aspiciunt ibi VII. mansi, unusquisque soluit. XXXIIII. den. et II. porcos. unum XII. den. ualentem, et alterum III. solidos, et III. pullos, et XV. oua, et exercet II. bonuaria et seruit XX. dies. Est ibi dimidia ecclesia, ad quam pertinet I. mansus, et de XXIIII. mansis decima. Est ibi molendinum XX. modios soluens. Haistoldi soluunt XII? (III)? solidos. Est ibi molendinum XX. modios soluens. Curtilia soluunt XXVIII. den. est etiam ibi terra soluens XVIII. solidos, et IX. denarios. Jn Fletherun est dimidia ecclesia, ad quam pertinet decima de X. mansis. Jn profunda ualle est mansus soluens IIII. solidos. Jn Tillaz est dimidius mansus. Jn fontibus est terra soluens XI. solidos. Jn Regenberti ualle est. I. mansus dominicalis. Aspicit ibi mansus et II. bonuaria et dimidium, qui mansus soluit V. solidos. Sunt ibi VI. Curtilia soluentia XXI'. denarios et XVIII. pullos. Est ibi terra soluens III. denarios. Jn curtils datus est ste. Marie I. mansus pro anima comitis Brunonis, soluens. V. solidos et in natale domini IIII. magnos panes, IIII. cappones IIII. fircellas auene, et duos denarios. Jn acuta platea aquis datus est census domorum id est XXVI. den. pro anima Hadewigis.

(P. S. Ernst.)

Vor mehr als 15 Jahren wurden 8 Pergament-Blätter in Folio, die der Schrift nach zu einem alten Chartular des Münsterstifts gehört hatten, mir zum Gebrauche geliehen, die sich aber seitdem durch Absterben dessen Besitzers verloren haben. Die Handschrift war an den meisten Stellen ganz verwischt, was doch, obgleich mühsam zu lesen, folgt hier.

43.

Census fratrum aquensium in Mercato viet — de bastonia VIII. libras et X. sol. de Harstallio VII. libr. et X. sol. de jupilla due libre. De Golopia VI. libr. de uench XXV. sol. de uuerta XX. sol de nonis v. libr. de Filfurt. XXX. sol. de erclenze II. libr. et IX. sol. census in festiuitate sti. Martini. de bastonia VI. libr. de golopia. VI. libr. de harstallio V. lib. de budil VI. libr. de iupillio. X. sol. de ecclesia budil XXX. sol. de compendio XXX. sol. de Filfurt. III. libr. et X. sol. de teiz. X. sol.

Jste sunt curie, que pertinent ad mensam Regis Romani.

De saxonia cum omnibus appenditiis earum. Licendices dat. v. seruitia regalia jtem Melca. jt. Nisana. jt. Budesin. jt. Altenburc. jt. Gisleua. jt. Altensteda. jt. Wulfersteda. jt. Warnesteda. jt. Walchusen. jt. Tulleda. jt. Ostrorobeda. jt. Werla. jt. Goslaria. jt. Hohenborc. jt. Poleda. jt. Gruna. ibi pertinent salcaru regis. jt. Iskinwege. jt. Mulchusa. jt. Mersebore. XL. seruitia. iste curie tamen de saxonia dant regi tot seruitia quot sunt dies in anno et XL. pl. jt. notificamus tamen uobis quod sit regale seruitium in saxo-

nia sunt XXX. magni porci III. uacce. V. porcelli. L. Galline. L. oua. LXXXX. casci. X. anseres. V. carrace ceriuisie. V. libre piperis. X. libre cere. uinum de cellario suo ubique saxonie.

Jt. iste sunt curie de franca. circa Rhenum: Tijla II. regalia seruitia. jt. Humaca VIII. jt. aquis grani VIII. jt. compendium II. jt. Oura II. jt. Reimaia II. jt. Syncika II. jt. Hambrestein II. jt. Andercana II. jt. Bobarda III. jt. Jngleheim III. jt. Luthera VIII. jt. Brie castrum VIII. jt. Tydonis uilla III. jt Floringia VII. jt. Salotra VII. jt. Surie VII. jt. Hasela I. jt. Nerestena I. jt. Triburia IIII. jt. Frankeneuori III. jt. sunt curie de francia' tantum dant XL. porcos VII. porcellos lactantes L. Gallinas V. Vaccas quingenta oua. X. anseres. V. libras piperis. nonaginta caseos. X. libras cere. IIII. carratas uini magnas. jt. iste sunt curie de Bawaria. Nuremberc dat II. regalia seruitia. jt. Grenda I. jt. Scybol I. jt. Botinga I. jt. Wizenborc I. jt. Nuremberc castrum VII. jt. Hauemberc VII. jt. Gradinga V. jt. Nuremberc super danubium II. jt crusa III. jt. Nuerenwat cum multis mansis. jt. Turenberc II. jt. iste sunt curie de Bawaria dant XXVI. regalia seruitia et tam magna sicut ille de Franka.

jt. iste sunt curie de lombardia. jt. septima dat II. regalia seruitia. jt. turrin allodium suum. jt. susa II. mille marcas. jt. auilana castrum mille marcas. jt. ploszascum CCCCC. marcas. jt. cara VI. marcas. jt. tastusta V. C. marcas. jt. Viuel V. C. marc. jt. saluza CC. marc. jt. albinga CC. marc. jt. Seduna ciuitas CC. marc jt. tarcul. jt. caualar. jt. canella ciuitates dant VIII. seruitia.

jt. naum X. regalia seruitia. jt. rubianacum I. jt sacrum beorgium. V. jt. Gamunda IIII. jt. marona VIII jt. Zeca III. jt. Retor II. jt. bijpont II. jt. basiliadus II jt Vigiula nobilis curia. jt. tronibal nobilis curia. jt lombel. jt. montilin. jt. curana cum magnis appendicijs. jt, iste sunt curie de lombardia tantum dant, quot nullus potest enarrare nec inuestigare, nisi prius ueniamus in lombardiam.

Jetzt folgen die oben No. 41 *angegebenen Reliquien. Dann:*

Anno dnice. incarnationis. i. LXXVI. indict. XIIII. III nonas septembris superius altare prius benedictum sed uiolatum rursus consecratum est a domno Heinrico leodiensi episcopo in honore saluatoris dni. nostri jhesu cristi et Victoriosissime crucis et ste. Marie semper Virginis et ss. apostolorum Petri et Pauli. martyrum sti. Lamberti epi. et martyris. Stephani prothomartyris. Confessorum sti Remacli epi. et confessoris. sti. mansueti conf. et ste. Gertrudis uirginis. Continentur autem in eo reliquie. de ligno dni. et sti. felicis pape et martijris. sti. Spei epi. et conf. et ste. corone virg. et martijs.

Altare medium consecratum est in honore ste. et indiuidue trinitatis. in quo sunt reliquie de ligno dni. de clauo sti. Petri apostoli, de reliquiis Bartholomei. Pauli apostolorum. Sixti. Blasii. Sebastiani. Theodori. Vincentii. Cijriaci. Ypoliti. Gordiani. Stephani. Marcani. Foillani martyrum et aliorum. etc.

Aquis in Capella sti. Lamberti. de reliquiis sti. Lamberti. et sti Marcellini sti. felicis. mart. etc.

Bulla ADRIANI IV. decano et capitulo Eccl. B. M. V aquisgr. data. 1157.

44.

Adrianus episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis Richero decano ecclesie bte. Marie in aquis grani. Eiusque fratribus tam presentibus quam futuris canonicam uitam professis, in perpetuum, Venerabilia loca et diuino cultui dedicata. quanto ab ipso fundationis exordio maiori preeminent excellentia dignitatis, tanto amplius nobis. qui deo, prout ipsi placuit, disponente. personis et locis pro statu et ordine singulorum intendere salubriter ac prouidere debemus. cogitandum imminet attentius et agendum, ut apostolice sedis presidio contra incursus et molestias persequentium muniantur. et antiquas dignitates ac jura. que ipsa

pia loca imperatorum fauore sunt et principum assecuta. integra eis et illibata seruentur. ne si forte auctoritatis nostre fuerint munimine destituta, et procellosa seuientium feritas circa ea debachetur, et honor eis debitus, et consuete dignitatis fastigium subtrahatur. ecclesiam autem bte. Marie, in qua vos dilecti in dno. filii diuino estis obsequio mancipati, a Carolo pie et gloriose memorie Romanorum quondam jmperatore splendide atque magnifice fuisse constructam et nos ipsi manifesto cognouimus, et ad multorum notitiam id ipsum certum est peruenisse, qui, ob insignem ipsius uenerabilis loci memoriam, eandem ecclesiam principum et optimatum Regni sui communicato consilio, multisque libertatibus et dignitatum excellentiis sublimatam a predecessore nostro sante memorie Leone papa, sicut in eiusdem jmperatoris priuilegio continetur. petiit dedicari, et ei munus apostolice conseruationis impendi. ex quo uero juxta uotum suum ipsi basilice dedicationis munia insigni sunt solemnitate depensa, ad maiorem eidem loco prerogatiuam glorie conferendam, omnium ducum, marchionum, comitum et aliorum principum Regni, qui ad id solemnitatis ex imperialibus conuenerunt institutis, assensu habito. et fauore in presentia eiusdem predecessoris nostri episcoporum etiam cardinalium, qui cum eo fuerunt inter alia magnifica eidem loco concessa, prefatus imperator instituit, ut in eadem ste. dei genetricis basilica sedes regia locaretur, et ibidem locus regalis et caput transalpine gallie haberetur. Unde nos, qui ex officio summi pontificatus, quod gerimus, uniuersis cristi ecclesiis paterna sollicitudine compellimur prouidere memoratam ecclesiam, ut dignitates, possessiones et jura sua perpetuis ei temporibus conseruentur, uestris postulationibus inclinati, sub bti. Petri ac nostra protectione suscipimus, et presentis scripti priuilegio communiuimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecunque bona eadem ecclesia in presentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione Regum ac principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante dno. poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant, adijcimus etiam, ut sicut memoratus antecessor noster Leo papa qui prout superius diximus, prefatam basilicam propriis manibus consecrauit, jam dicti jmperatoris precibus inclinatus instituit. Si quis eandem ecclesiam uel bona eius ledere, minuere, uel aufferre tentauerit, secundo, tertioue communitus. nisi quod illicite fuit attentatum, condigna emendatione correxerit. eiusdem loci Decanus auctoritate nostra liberam habeat facultatem in tante presumptionis authorem anathematis sententiam exercendi, quem nulla persona ecclesiastica presumat absoluere, nisi prius condignam satisfactionem de perp trato maleficio eidem loco curauerit exhiberi, decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones aufferre uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia integre conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnibus profutura, salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire tentauerit, secundo, tertioue commonito, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini redemptoris nostri jhesu cristi aliena fiat, ac in estremo examine diuine ultionisubiaceat. cunctis autem eidem loco sua jura seruantibus sit pax domini nostri jhesu cristi, quatenus hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. amen. amen. amen. Datum apud castrum Vicumuarium per manum Rolandi sacre Romane ecclesie presbijteri cardinalis et cancellarii decimo calendas octobris, jndictione sexta. jncarnationis dnice. anno 1175. Pontificatus uero dni. pape Adriani quarti anno 4°.

Subscriptum ego Adrianus catholice ecclesie episcopus. Ego Wibaldus presbyter cardinalis tituli ste. Praxedis. Ego julius presbyter cardinalis tituli sti. Marcelli. Ego octavianus presbyter cardinalis tituli ste. Cecilie. Ego Hildebrandus presbyter cardinalis Basilie duodecim apostolorum. Ego Guido presbyter cardinalis tituli sti. Calixti. Ego Joannes presbyter cardinalis tituli ste. Anastasie.

(Erant he littere apostolice in filis sericis tam glauci quam uiridi coloris more romane curie bullates.)

LUDOWICUS II. Rex Germaniae donat Abbatiae Prumiensi Ecclesiam sti. Salvatoris prope Palatium Aquis grani. 871. [1])

45.

J. n. s. e. i. t. Ludouicus diuina fauente gratia rex. Si liberatitatis nostre munere locis deo dicatis quedam conferimus beneficia, necessitates ecclesiasticas nostro releuamus juuamine, atque regali tuemur munimine, id nobis et ad mortalem uitam temporaliter transigendam, et ad eternam feliciter obtinendam, profuturum liquido credimus. Qua propter comperiat omnium fidelium nostrorum, presentium scilicet et futurorum solertia, qualiter nos, uenientes ad Aquisgrani palatium, inuenimus ibi ecclesiam destructam, quam genitor et mater, in eleemosyna illorum, construi fecerunt, ut ibi Cymeterium esset mortuorum. Hanc ergo, ut ita destructam reperimus, condoluimus inde, eo quod nec donata fuerat, nec etiam preuisa ad dei seruitium, sicut esse debuerat.

Nos uero hoc cernentes, commendauimus eam Ansboldo uenerabili Abbati, ut ipse eam in prouidentia haberet, et quisquis post eum Abbas in Prumia esse videretur. Dotauimus itaque eam, dantes ibi duo mansa et tertium mansum indominicatum cum uineis, quas missus noster ibi consignauit, nec non et mancipia utriusque sexus, quorum nomina sunt . . . . cum uxore sua, Ursilde nomine, et infantibus eorum. Has ergo prescriptas res cum omni integritate, cum mancipiis utriusque sexus, concedimus ad ecclesiam s. Saluatoris, precipientes, ut nullus ex successoribus nostris prescriptam ecclesiam ac res, quas ibi concedimus, auferre presumat de potestate abbatis Prumie sed inde in perpetuum rector ac gubernator Abbas Prumie ac sui fratres existant similiter ergo de duabus ecclesiis precipimus, quarum una est ad Wornisalt, et alia ad antiquum campum ut simul eadem donatione consistant cum appenditiis earum, ut eis pro nostra ac conjugis carisimeque prolis salute, ac remedio animarum antecessorum nostrorum domini clementiam delectabilius exorare delectent. Et ut hec auctoritas largitionis nostre firmior habeatur, et per futura tempora à fidelibus nostris uerius credatur, et diligentius obseruetur, manu propria nostra subter eam firmauimus. et annuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum Domni Hluodouici serenissimi Regis. Eberhardus cancellarius ad uicem Luitberti recognouit. Data XVI Kal. Novemb. Anno XXXVIIII regni domni Ludouuici serenissimi Regis in orientali Francia regnantis, jnd. IV. Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter Amen.

OTTO III. confirmat fundationem monasterii in monticulo Luouesberc juxta aquis granense palatium. 997. [2])

46.

J. n. s. e. i. t. Otto diuina fauente clementia Romanorum imperator Augustus; quanto imperiali dignitate cunctis uidemur gradibus preeminere. Tanto in omnibus operibus bonis debemus pre omnibus pollere, atque dum tempus habemus cunctis uiribus elaborare. quatenus cum jam operandi tempus non erit, sed premii perpetualem mereamur retributionem accipere, qua propter omnium sancte Dei ecclesie nostrorumque fidelium presentium ac futurorum nouerit uniuersitas, quomodo nos pro quodam monticulo Luouesberc dicto juxta nostrum Aquisgranense palatium sito dedimus ad monasterium sti. Saluatoris in

1) Siehe meine Schrift: die Königl. Kapelle etc. 1829. pag. 75. Urk. 1. — Mirae. op. dipl. T. III. pag. 9.
2) Dieselbe pag. 76. Urk. 2.

Brumia situm, plenum atque justum concambium, quia ipsi monasterio predictus pertinebat monticulus, qualiterque, cuncta illa predia, que Alda quedam uidua nostro iuri tradidit, que sic nominantur Veldericke, Leidon, Umeron, Dheste, Maldericke cum omnibus suis pertinentiis ad prefatum monticulum Luouesberc nominatum concedentes monasterium in eo loco sub honore st. Saluatoris, et beatissime Corone martiris pro Dei amore atque nostre anime et parentum nostrorum, nec non pro illius jam dicte uidue Alde remedio anime construere, atque congregationem monacharum sub st. Benedicti uiuentium regula ordinare statuimus, concedimus itaque ad ipsum monasterium nostram capellam imperialem in Jngelcheim sitam, cum omnibus suis decimationibus et pertinentiis, eo tenore, ut ipsa capella ceteraque loca superius dicta ad prefatum monasterium in honore sti. Saluatoris et ste. Corone martiris construendum cum omnibus suis pertinentiis perpetualiter pertineant, sitque id ipsum monasterium in monticulo Luouesberc construendum cum congregatione monacharum atque cum omnibus sibi concessis et concedendis sud nostra imperiali ditione et sub honore sti Saluatoris et ste. Corone martiris tutum denfensum et perpetua libertate munitum, et ut hec nostra auctoritas firma et stabilis omni tempore perseueret, hoc perceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signari jubentes, propria manu, ut infra uidetur, corroborauimus.

Signum domni Ottonis inuictissimi imperatoris Augusti Hildibaldus episcopus et cancellarius uice Willigisi archiepiscopi notauit.

Data VI Kal. Novembris Anno dominice jncarnationis D. CCCC. XC. VII. jnd. XI. Anno autem tertii Ottonis regnantis XIV imperii uero secundo.

Actum Aquisgrani in Palatio feliciter Amen. (Ex originali).

HEINRICUS IV. donat Ecclesiae B. M. V. aquens. advocatias de Harne, Loncins et Mandrevelt.

1076. [1])

47.

J. n. s e. i. t. Heinricus divina favente clementia Rex. Antecessorum nostrorum Regum seu Imperatorum exemplis didicimus, quantum honoris et utilitatis Regibus contulerit et negaverit bonor et statui Aecclesiarum ab eisdem regibus servatus et adauctus, neglectus et minutus. Ut enim de bonis sumamus exempla. Sic magni Karoli Imperatoris divae memoriae consuevit facere prudentia, qui Aecclesias fundavit, fundatas prediis ditavit, honore ampliauit, religione dilatavit, in cujus dilatatione quantum honoris et commodi sibi et regno contulerit, magni nominis ejus fama in universali adhuc servat Aecclesia, cuius meritorum et virtutis commemoratio procul dubio successorum est aedificatio, quem et nos pro posse Dei adiutorio imitari cupientes, eius exemplo res nostras ampliari et regni statum dilatari credimus. Si ejus exemplo Dominum in sanctis suis honorare, quod est religionem Aecclesiarum servare, voluerimus, quam ob rem Aecclesiam, quam idem Karolus beatae memoriae Aquisgrani in honorem gloriosissimae Dei genitricis perpetuae Virginis Mariae fundavit respeximus, cuius petitionem in petitionis effectum ducere decrevimus, annitente Bertha et regni et tori socia, presentibus Hilcolfo Coloniensi, Liemaro Hammaburgensi Archiepiscopis, Ruoberto Babenbergensi, Ebbone Nuinburgensi, Willehelmo Trajectensi Episcopis cum ceteris regni principibus succinentibus dilecti Capellani nostri Cvonradi eiusdem aecclesiae prepositi precibus. Siquidem tres advocatias super tot loca scilicet Harne, Loncins, Mandrevelt, quas nos nostra manu dare et (sic) negare debuimus sanctae Dei genitrici Virgini Mariae in perpetuitatem libenter concessimus, ea

---

1) Allgem. Archiv. von Ledebur. 10r Bd. S. 217.

ratione ut Cvonradus eiusdem aecclesiae prepositus, omnesque sui successores eius Aecclesiae prepositi has tres advocatias potestative teneant et pro utilitate aecclesiae consilio fratrum ibidem sanctae Dei genitrici Virgini Mariae, filioque eius Deo nostro servientium; cui velint et negent et tribuant super tria prefata loca cum universis eorum appenditiis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, pratis, pascuis terris cultis et incultis, viis et inviis, silvis, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus et reditibus, quesitis et inquirendis et universis utilitatibus eisdem tribus locis accumulatis et accumulandis, cuius firme et perpetue donationis testem cartam nostro jussu conscriptam et propria manu ut infra videtur conscriptam et corroboratam sigilli quoque nostri impressione insignitam omnis generationis tam futurae quam presentis notitiae reliquimus.

Signum Domni Heinrici quarti Regis invictissimi. Adalberto Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi. Anno Dominicae incarnationis millesimo septuagesimo sexto indictione XV. XI. K. Maii. Data anno autem ordinationis Domni Heinrici quarti regis XXII. regni vero XX. Actum Aquisgrani in nomine Domini nostri Jesu Christi amen.

Ex Autographo.

HEINRICUS IV. donat capellam in monte Luouesberch Ecclesiae B. M. V. aquis. 1059. [1])

48.

J. n. s. e. i. t. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus, tam futuris quam presentibus, qualiter nos ob remedium patris nostri piæ memoriæ Heinrici imperatoris Augusti. simulque ob interuentum ac petitionem dilectissimæ genitricis nostræ Agnetis jmperatricis Augustæ Aecclesiæ stæ. Dei genitricis Mariæ in nostro Aquisgranensi palatio constructæ omnia, quæ uel à patre nostro uel ab aliis ante tradita tempore ipsius possedit, possidenda in perpetuum annuimus et confirmauimus, nominatim autem Capellam in monte Luouesberch positam cum omnibus, quæ ad eam pertinent, una cum prædio in villis Haruia et Vals in pago Leuua et in Comitatu Tietbaldi sito, quod predictus genitor noster ab Heinrico Bauuariæ duce sibi traditum, prænominatæ ste. Dei Genitricis Aecclesiæ prius tradidit, et legali præcepto confirmauit Nos stæ. Dei genitricis Aecclesiæ cum omnibus appendiciis eius, hoc est, utriusque sexus mancipiis areis, aedificiis, terris cultis, et incultis, agris, patris. pascuis, campis, siluis, uenationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, exitibus et reditibus, uiis et inuiis, quesitis et inquirendis ac cum omni utilitate, quæ ullo modo inde prouenire potest, ad usum fratrum Deo ibidem famulantium in proprium dedimus, atque tradimus et ut hæc nostra regalis traditio stabilis et inconuulsa omni permaneat aeuo, hanc cartam inde conscribi, manuque propria, ut subtus cernitur, corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici quarti Regis. Gebehardus Cancellarius uice (Luitbaldi archicapellani) recognouit. Datum est IV. nonas Martii Anno dominicæ incarnationis M. L. VIIII. jnd. XII. Anno autem ordinationis Domni Heinrici quarti Regis V, regni uero III. Actum Apuisgrani felicter Amen.

Siegel abgefallen.

Ex originali

---

1) Siehe Königl. Kapelle etc. p. 79

Bulla GREGORII V. 997. [1])

49.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei dilectissimo filio Otthoni Roman. imperatori augusto. Equum igitur et dignum iudicamus imperialis honorem regiminis et potestatem apostolica auctoritate firmari et de de omni bona voluntate et beneficiis cunctis ab imperatoria potestate sacro cuique loco concessis digne deo gratias referre, atque ideo, quia postulat a nobis, qualiter locum et ecclesiam aquisgrani uidelicet palatio bonis ex uestra donatione inchoatam principiis, nostra apostolica munificentia firmaremus auctoritate. Et ut etiam bene inchoata principia eo meliori fine uterentur, supradicte ecclesie concedimus clericorum congregationem catholicorum sublimiter, et ut regulariter uiuant, commendamus. jnsuper etiam statuimus, ac per nostram precepti paginam firmum et inconuulsum decreuimus, in supradicta ecclesia septem cardinales diaconos et presbyteros septem cardinales huic ecclesie in illorum ministeriis deseruire, ea uidelicet ratione ut nullius dignitatis persona supra sacrum altare dei genitricis marie ibidem constitutum missam celebret, preterquam supradicti septem cardinales presbyteri, et archiepiscopus hujus loci coloniensis et episcopus Leodiensis, qui huic Diocesi presidet. Predia uero omnia huic loco ab imperatore aut ab aliis dei fidelibus concessa sub nostre auctoritatis defensione munimur, et sub anathematis interminatione corroboramur, ut nulla persona major uel minor de supradicti monasterii prediis aliquid auferre uel aliqua molestia afficere presumat. ea uidelicet cautione, ut singulis quibusque annis sine aliqua mora aut dilatione optimi auri libra una nostre predicte Romane ecclesie apto tempore persoluatur. Et ne hujusce religionis ordo et tante dignitatis apex ab ignobili aliquo uel leui actu uilescatur, uolumus atque apostolica auctoritate firmiter precipimus, ut . . . . . ordinetur, ut supra decreuimus. Et siquis tam audax nostre iussionis preceptum uiolauerit, anathematisamus et etiam excommunicamus, quod omnes procul dubio compescet. Scriptum per manum propriam pronotarii et scriniarii sancte Romane ecclesie anno dnice. jncarnationis nongentesimo nonagesimo septimo mense februarii jndictione decima.

Ego Gregorius episcopus seruus seruorum dei subscripsi. Ego Joh. Rouand subscripsi. Ego Landolfus mediolanensis archiepiscopus subscripsi. Ego Vuido papiensis archiepiscopus subscripsi. Datum idus 6. Febr. per manum Joannis episcopi sancte albanensis ecclesie et Bibliothecarij sancte apostolice sedis, anno pontificatus dni. Gregorij quinti pape primo. Regni uero diui tertij Otthonis anno primo in mense februario.

(Et infra dependebat sigillum apostolicum Blombo impressum.)

Præsentem copiam cum uerbo suo originali in cortice arboris scripto et subscripto, ut supra collatam, et exceptis duobus uerbis, quorum loca huic uacua et punctis notata sunt, concordantem. Testor hac 23 Aug. 1686. Wil. Vonderheyden nots. pbs.

Renuntiatio jurium . . Wilhelmi et . . Volquini, que habebant in curia de Sintzghe. 1192.

50.

Heinricus sextus diuina fauente clementia Romanor. jmperator augustus. Ea, que in presentia nostra iuste et amicabiliter diffiniuntur, ne processu temporis ob malignorum proueruiam aliquatenus retterentur, litterarum memorie dignum ducimus commendare Quapropter notum facimus uniuersis jmperij nostri fidelibus,

---

1) Beeck, aquisgranum S. 83.

presentibus et futuris. quod cum dilectus frater noster. . philippus aquen. prepositus curiam bte. Marie aquen. in Syntzge in potestatem suam receperat. et quiete possederat. Wilhelmus et Volkoldus de Sintzge occasione nillicationis, quam pater eorum et ipsi in curia illa aliquando habuerunt, eam grauare et sibi attrahere temptabant. Nos igitur nulla ratione inducti, quod predicti . . Wilhelmus et Volkoldus in curia illa haberent uel habere uiderentur, sed sola animi moti pietate cum fratre nostro preposito et canonicis aquensibus diligenti precum ammonitione ordinauimus, quod intuitu dei predictis . . Wilhelmo et Volkoldo ad necessitatis eorum subleuamen medietatem uini presentis tunc anni de eadem curia prouenientis benigne dederunt. qua de causa. Wilhelmus et Volkoldus in presentia nostra omni juri, quod in curia illa haberent uel uiderentur habere pro se et omni parentela sua omnimodis renunciauerunt et sacramento firmauerunt, quod nec per se nec per aliquem alium eandem curiam uel aliqua curie attinentia de cetero nunquam grauare debeat, uel se de hijs intromittere. Nos igitur ad omnimodam aquen. ecclesie cautionem canonicis aquen. sub obtentu gratie nostre districte precepimus, quod nec ipsi nec prepositus ipsorum eandem curiam alicui unquam laice persone in pacto committant. Datum Sintzge anno dni. M. C. XCII. jndict. X. IIII. non. octobris.

FRIDERICUS I. concessit loco regali aquensi jus monetandi, et 2 nundinas in anno 1166.

51.

J. n. s. c. i. t. Fredericus. diuina fauente clementia. Romanorum imperator. et semper Augustus, quum Aquisgranum locus regalis. tum pro sanctissimo corpore beati Karoli Imperatoris inibi glorificato. quod solus ipse fouere cernitur. tum pro sede regali in qua primo Imperatores Romanorum coronantur. omnes prouincias et ciuitates dignitatis et honoris prerogatiua precellit: congruum et rationabile est. ut exemplo domni et sti. Karoli. aliorumque precessorum nostrorum. eundem locum imperialis defensionis et nostre clementie priuilegiis et libertatis institutione. quasi muro et turribus muniamus, jnde est quod bis in anno uniuersales. et sollempnes Nundinas. Aquisgrani celebrari decreuimus ex consilio mercatorum. uicinarum ciuitatum iura eatenus conseruantes. quod Nundine iste. non solum illarum Nundinas non impediant. uerum earum adaugeant emolumenta. Ex consilio itaque principum nostrorum. pro reuerentia domni Karoli sanctissimi Imperatoris. omnibus mercatoribus hanc donamus libertatem. ut in his Nundinis. et per totum annum in hoc regali loco ab omni thelonco sint immunes et liberi. et sua commercia uendant. et emant. prout ipsi uoluerint. Nullus mercator uel quelibet alia persona. in his Nundinis mercatorem in causa ducat. pro debito soluendo. uel alio quolibet negocio quod ante Nundinas perpetratum fuerit. Sed si in Nundinis aliquid perperam factum fuerit. in Nundinis secundum iusticiam emendetur. Prime autem Nundine incipient in dominica prima quadragesime quando sex septimane usque ad Pascha numerantur. et quindecim diebus durabit. Secunde uero Nundine incipient octo diebus ante festum sti Michaelis. et durabunt octo diebus post idem festum. omnes quoque ad has Nundinas uenientes uel inde redeuntes. uel ibidem commorantes. in rebus et personis. firmam pacem habeant. Preterea ne crebra mutatio monete. que aliquando grauior. aliquando leuior esse solebat. in dampnum tam gloriosi loci. de cetero redundet. ex consilio curie nostre. monetam inibi cudi fecimus. in eadem puritate. grauitate. forma et numero perpetuo duraturam. De marca cudentur viginti quatuor solidi. duodecim solidis coloniensium semper equipollentes. ita uidelicet. ut ex his viginti quatuor solidis. duodecim solidi colonienses haberi possint. et de duodecim solidis coloniensium. viginti quatuor solidi aquensium. sine impedimento possint cambiri. forma uero denariorum talis erit. quod in una parte. erit jmago sti. Karoli et eius superscriptio. ex altera parte nostra jmago. cum nostri nominis

superscriptione. Ceterum quia quedam abusio pro longa consuetudine in populo aquensi locum iusticie obtinuit. ut qui de calumpnia uel aliqua re impetebatur. non poterat expurgacionis sue satisdacionem offerre. nisi per festucam quam inclinatus de terra leuasset. quam si subito non inuenisset. in penam compositionis decidit. Nos hanc iniquam legem perpetuo condempnantes. imperiali auctoritate statuimus. quod liceat unicuique in hoc nostro regali loco aquisgrani. pro qualibet causa qua impetitus fuerit. expurgacionem suam offerre per quodlibet uel minimum. quod de mantello uel tunica. uel pellicio uel camisia uel qualibet ueste qua indutus est. manu potest auellere. directe stando sine aliqua corporis flexione. Quia uero lege iniqua condempnabatur. qui monetam aliam preter aquensem acceptasset. uel cambiuisset. nos econtra iubemus. ut unaqueque moneta. iuxta qualitatem suam in loco nostro currat. et accepta sit omnibus secundum quod ipsam valere constituerit. Item mercatoribus nostris de prefato loco aquensi. concedimus. et confirmamus. ut nostra auctoritate liceat eis extra domum monetariam et tectum cambire argentum. uel monetam. quando ad negotiationes suas exire proposuerint. Quicumque autem contra has nostras institutiones temere uenire presumpserit. et ausu temerario eas infregerit. banno nostro subiaceat et C. libras auri camere nostre persoluat. verum ut ab omnibus uerius que facta sunt credantur et diligentius obseruentur presentem inde paginam conscribi. et sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum domni Frederici Romanorum Imperatoris gloriosissimi. ego Heinricus sacri palaty prothonotarius. uice Cristiani archicancellary et magontine sedis electi recognoui.

Datum aquisgrani. Anno dnice. Incarnationis M. C. LXVI. jndictione XIIII. v. jd Januarii. Regnante domno Frederico Rom. Jmp. gloriosissimo anno regni eius XIII. Impery uero XV. Actum in cristo feliciter amen.

Das aufgedruckte Kaiserl. Siegel beschädigt.

FRIDERICUS I. mandat aquensibus monasterium sti. Salvatoris in monte prope aquis defendere sine anno. [1])

52.

Fridericus dei gracia Roman. Rex et semper augustus et Rex Sicilie fidelibus suis sculteto, aduocato, scabinis et uniuersitati ciuium aquensium, nec non omnibus hoc scriptum uisuris graciam suam et omne bonum: Quoniam ob reuerentiam Dei et fauorem ordinis cisterciensis per quem ex magna parte ecclesiam Dei hodie credimus subsistere, ad ipsius ordinis defensionem, immo et promotionem, regiam beneuolentiam cogimur inclinare, abbatissam et conuentum sti. Salnatoris in monte prope Aquis, res etiam earundem mobiles et immobiles uel sese mouentes, sub protectione nostra recepimus, mandantes, quatenus eisdem auxilio, consilio et defensione, nostra freti auctoritate, fideliter assistatis, uigilanti studio procurantes, ne quis temerarius attemptator prefatum cenobium in personis uel rebus ad ipsum spectantibus, sicut graciam nostram diligit, audeat molestare.

Et erat appensum sigillum imperatoris Friderici ex cordula serica rubra et uiridi, in cera alba.

Quod presens suprascripta copia cum suo originali in pergamena conscripto deligenter auscultata et collata de verbo ad verbum concordet, ego Walramus Hungerus sacris aplica. et jmpli. auctoritatibus notarius publicus, signatura hac manu propria ac notariatus mei sigilli ordinarii appositione testor. in fidem requisitus W. Hungerus not. pbls.

---

1) Siehe die Königl. Kapelle pag. 98. Urk. 16.

Idem imperator mandat aquensibus, silvam ceduam banni aquis monasterio sti. Salvatoris prope aquis communem facere sine anno. [1])

53.

Fridericus dei gracia Roman. Rex et semper augustus et Rex Sicilie. Fidelibus suis sculteto, aduocato, scabinis et uniuersitati ciuium aquensium graciam suam et omne bonum . . . . Siluam ceduam omnibus banni Aquis communem abbatisse et conuentui cenobii sti. Salvatoris prope Aquis in monte, ob fauorem cisterciensis ordinis pro reuerentia Dei diligere et regia beneuolentia confouere et augere tenemur. Similiter, sicut et aliis de regali nostra ciuitate aquensi communicandum recognoscimus. Et licet antea nichil iuris in usu eisdem silue uise fuissent habuisse, uellemus tamen et uolumus quatenus plenarium usum, sicut et supradicti in ea habeant. Regia auctoritate sub obtentu gracie nostre inhibentes ne quis temerario ausu prescriptum cenobium ab usu ab usu et emolumento sepefate silue presumat aliquatenus prohibere.

Nos uero Gotfridus de Vlodorp, decanus ecclesie B. M. Aquensis has literas, quarum he sunt copie. ueras et in nulla parte uiciatas, omni suspicione carentes, sub suo certo sigillo, prout primo intuitu apparebat, nos uidisse et legisse protestantes, sigillum nostrum huic copie duximus in testimonium appendendum.

Uisum et lectum anno dni millesimo quadringentesimo secundo, sabbato post Florini confessoris.

Siegel sehr beschädigt, in grünem Wachse, an einem Pergament-Streifen.

HENRICUS VI. interdicit Exactionem Thelonii in Eckendorf. 1194.

54.

Henricus sextus diuina fauente clementia Rom. Imp. et semper Augustus. Equum est et ratio dictat ut ea que in presentia nostre maiestatis rationabiliter aguntur et pertractantur. ne temporis processu mediante aut hominum iniquorum uersutia interueniente. obliuioni tradantur, omnium tam futurorum quam presentium memorie per diualis scripti nostri paginam. diligenter inprimantur. Qua propter nouerint uniuersi Imperii nostri fideles tam presentis etatis quam successure posteritatis, ad quoscumque presens pagina peruenerit. quod fidelis noster Gerardus comes de Are in presentia nostra constitutus, ex diligenti ammonitione nostra recognouit. et manifeste confessus est. theloneum illud in Eckendorf iniuste se occupasse, et non rationabiliter possedisse. et accepisse. quod scilicet theloneum idem Gerardus in predicto loco a mercatoribus et burgensibus nostris aquensibus consueuit accipere. Promisit itaque in presentia nostra coram principibus, et multis Imperii fidelibus quod nec ipse nec aliqu's uice uel loco ipsius aliquid de cetero in prenominato loco Eckendorf à mercatoribus et burgensibus nostris accipiet aut requiret hys qui prenomenati sunt. theloneum. Quod si hoc promissum non tenuerit. et aliquod theloneum ab aquensibus mercatoribus et burgensibus aliquo tempore requisierit uel acceperit, ipse tenebitur pro pena. centum marcas nobis persoluere. et predicti aquenses recuperabunt illas centum marcas de bonis ipsius comitis. et nos cum ipsis. Huius rei testes sunt. Adolfus colon. Archiepiscopus. Hermannus monasteriensis Episcopus. Bertrammus metensis Episcopus. Cunradus aquensis prepositus. Godefridus prepositus sti. Gereonis in Colonia. Henricus prepositus sti. Mauricii in Maguntia. Philippus frater noster. Henricus dux Brabantie. Henricus dux de Limburc. Otto comes de Gelren. Theodericus comes de Hostaden. Willelmus comes Juliacensis. Godefridus de

---

1) Idem pag. 99. Urk. 17.

Wineden. Arnoldus de Horenberc. Euerardus marscalcus de Auehor. Sefridus de Hagenowe. et alii quam plures. Acta sunt hec anno dnice. Incarnationis M. C. XCIIII. jnd. XII. similiter per omnia dictum et promissum est de theloneo jn Rudensberc. Dat. Aquis. XIIII. Kal. May.

Kaiserl. Siegel in weiszem Wachs. beschädigt.

Antiquum Cartularium

ECCLESIÆ Sti. ADALBERTI.

HENRICUS II. fundat Ecclesiam collegiatam sti. Adalberti aquisgrani. 1005.

55.

J. n. s. c. i. t. Heinricus diuina fauente clementia. Rex in domo dni. largiflua sumus dispensatores nos esse scimus. Si fideliter dispensauerimus. beati erimus. et in gaudium dni. intrantes bona ipsius possidebimus. Si infideliter in tortorium detrudemur. et usque ad nouissimum quadrantem torquebimur. Qua propter et pena exterriti. et premio inuitati. consilio quoque principum nostrorum subnixi illi qui totum dedit et totum non exigit. Sed ex toto decimam. ad deuotionem hominum suscitandam repetit. decimam ex Walecre. et Goslar. et Trutmanni e reditibus. in omni requie regalibus nunc usque subiacebat usibus. ad usum fratrum. Aquis grani in ecclesia sti. Alberti habitantium concedimus concessumque inperpetuum esse uolumus. Capellam quoque in Ingelheim sitam. in leueberg etiam. cum omnibus. que per preceptum. senioris et antecessoris nostri tercy Ottonis illo concessa fuerant. . Quatinus his utendo seniorisque nostri Ottonis memoriam habendo qui eundem locum incepit inperfectumque ad perficiendum nobis reliquid. nostri quoque nostrorumque antecessorum non obliuerendo. et ab ipso audiantur cui cuncta debentur. et quod querunt se impetrasse letentur. Et hanc concessionem sic stabilem. sic esse uolumus inmobilem ut siquis eam infringere uoluerit. et pro conatu regis regum offensam incurrat. et quod querit adipisci nullatenus ualeat. Ut autem inconuulsa permaneat. et manu propria firmamus. et sigilli nostri inpressione signari iubemus.

Signum domni Heinrici Regis inuictissimi. Bruno cancellarius uice uuilgesigi archicapellani. recognoui. Actum Trutmannie nonas iuly. anno ab incarnatione dni. M. V. indict. III. anno V. Heinrici Regis Rom. regnantis IIII.

HENRICUS II. donat sue fundate Ecclesie sti. Adalberti aliqua bona 1005.

56.

J. n s c i. t. Heinricus diuina propiciante clementia rex jocunda paternitas. et paterna eiusdem dei pietas. que multa nobis concessit. et ex multis pauca a nobis requirit. nobis requirit. non ut indigeat. sed ut pro paucis multa et infinita reconpensare possit. dum querit donum et ad premium inuitat. et ad remunerandum festinat. feneratio dulcis. in qua multa paucis. eterna mercantur caducis. Nam huic clare debemus qui nos metipsos nobis dans. a snis sua non recipit. ut habeat. sed ut centuplicata remittat.

Huius spei gratia inuitati. decimam ex Walecre et Goslar et Trutmannie reditibus in omni censu qui regalibus subiacet usibus. Villas quoque Soron et Solmanniam in pago Lijrwa, in comitatu sitas. Neroldeshusen eciam sitam in pago natresgauwe in comitatu Widelonis.

Horehem insuper in pago. colingauwe, et commitatu Kiuenhem quoque in pago Meinuelt et comitatu Bethelini. creatori et ditatori nostro. ad usum fratrum aquis grani in capella sanctorum martirum. adalberti et hermetis. habitantium concedimus. concessaque in perpetuum esse uolumus. Terram eciam eidem capelle cum uno molendino circumiacente. Et ut hec concessio secundum uotum nostrum et firma consistat. et inconuulsa permaneat. scriptum hoc. more antecessorum nostrorum. et manu propria roborauimus. et sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Heinrici per Cristum inuictissimi. Bruno cancellarius Uuillegisi archicapellani recognoui. Actum est Nuiburc. jdus augusti. Anno ab incarnatione dni. M. V. Regnante Rege Heinrico secundo. anno Regni eius. IIII.

Jn fine Chartularii est alia copia hujus privilegii de alia manu scripta, quae priori de verba ad verbum consonans est, cum hoc adjecto :

Ego Engelbertus colonien. ecclesie archiepiscopus. hoc priuilegium domni Heinrici Regis Rom. de verbo ad verbum rescriptum. uidi. et relegi. et quia ipsum multa vetustate videbatur. consumptum. huic scripto ad memoriam predicti priuilegij propter instantiam ecclesie beati Alberti. que nobis a dno Fridrico Rom. jmperatore et rege sicilie commissa est. sigillum meum iussi apponi.

HEINRICUS II. auget suam fundatam Ecclesiam cum ulterioribus bonis 1018.

57.

J. n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia. Roman. imperator augustus. Quoniam indubitanter scimus in conspectu dei placere sanctorum loca instituere et sublimare. spe diuine remunerationis. pro remedio anime nostre. coniugisque nostre dilecte Kunigunde nidelicet imperatricis auguste nec non parentum nostrorum eciam pro confirmando sub diuina protectione regni nostri statu ecclesiam in honore sancti Alberti. episcopi. et martiris in monte contermino sedi nostre aquensi a nobis fundatam. omni libertate donamus. eidemque ecclesie omnem possessionem. que est infra murum. qui dicitur bruel. cum areis. edificijs. agris. siluis. pratis. pascuis. aquis. aquarumque decursibus. exitibus. reditibus. uijs et inuiis. seu cum omni utilitate. que ullatenus. uel nominari uel scribi possit. tradimus. baptisterium. et decimas. cum assensu et bona uoluntate episcopi leodien. baldrici. eidem ecclesie concedimus pro restauratione unius prati a predecessore nostro ecclesie porceten. dati. agrum nostrum in marlines et crenual. cum decima. eidem ecclesie firmiter donamus. ipsum prelatum ecclesie iudicem. et exactorem supradicte possessionis. et omnium habitantium in ea uice nostra constituimus. Et ut hec nostre auctoritatis pagina. stabilis. et inconuulsa omni permaneat euo. eam manu propria roborantes. sigilli nostri impressione iussimus communiri.

Signum domni Heinrici Romanorum inuictissimi imperatoris augusti. Guntherius cancellarius uice Erckenbaldi recognouit archicancellarij. anno incarnationis dni. M. XVIII. jndictione I. anno V. regni domni Heinrici inuictissimi imperatoris augusti XVII. imperij autem V. Actum aquis grani felieiter amen.

Faemina libera Meijnza dicta se dedit in seruitutem sti. Adalberti aquis grani. 1020. [1])

58.

J. n s. e i. t. Notum sit omnibus ste. dei ecclesie fidelibus. quod quedam libera femina nomine Meijnza. precibus et promissis prepositi alberti. et hawardi aduocati, cuidam Godekino. seruienti ecclesie sti. adalberti in aquis grani. legali matrimonio nubens. libertatem suam. deo. sanctoque martiri adalberto cum bona uoluntate obtulit. et legem legitimorum seruientium. qui neque censum capitis. soluunt. neque placitum alicuius aduocati seruant. sponte sua subiuit. et eandem legem legitimorum seruientium omni propagini sue relinquens. karta. et sigillo. traditionis. sue memoriam. sibi et posteris suis confirmari fecit. Hec determinatio. sub anathemate confirmata est. a tota congregatione ecclesie. ne aliquis a legitimo iure seruientium audeat eos infringere. Huius rei testes sunt. prepositus albertus. Hawardus aduocatus. et filius eius Hildeboldus. Gerhardus Benzo. Egeno. Azo. Alekinus. Jrenfridus. et alij boni uiri. Actum est in Valdrica. II. idus nouenbris. anno dominice incarnationis M. XX. jndictione III. Regnante Heinrico. anno VIIII. Traiecten. ecclesie presidende Adelboldo episcopo. anno XI. Ad laudem et gloriam illius qui est benedictus in secula. Amen.

HEINRICUS III. donat ecclesie sti. Adalberti aquisgr. predium in Vals. 1041.

59.

J n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia Rex. si ecclesias diuino cultui mancipatas sublimare atque ditare curamus. ad presentis nostre uite statum et ad eterne retributionis premium nobis profuturum fore non dubitamus. Qua propter omnium fidelium nostrorum tam presentium. quam futurorum sollers industria nouerit. qualiter nos ob remedium anime. Conradi imperatoris augusti. pie memorie. uidelicet genitoris nostri. nec non ob recordationem dilecte coniugis nostre. Chunihildis regine. ac pro incolumitate nostra. genitricisque nostre Gisile imperatricis auguste. tale predium quale nos in istis uillis. Vals. Chiminiaco. Morismahil. Vilarus. habuimus. cum omnibus suis pertinentijs. hoc est utriusque sexus. mancipijs. areis. edificijs. terris. cultis et incultis. agris. pratis. pascuis. campis. siluis. uenationibus. aquis. aquarumque decursibus. molis. molendinis. piscationibus. exitibus et reditibus. uijs et inuijs. seu cum omni utilitate que ullomodo inde potest prouenire ad monasterium sti. adalberti. episcopi et martiris. aquis grani palacii positum. ad usum fratrum deo. predictoque martiri et pontifici ibidem seruientium. in proprium dedimus. atque tradidimus. Ea scilicet ratione. ut patris. coniugis nostre anniuersarius dies ab ipsis fratribus deinceps. cum missarum et uigiliarum officijs sollempniter omni anno celebretur. Noster quoque et matris nostre similiter pro tempore fiat. Et ut hec nostre traditionis auctoritas nunc. et per succedentia temporum curricula. stabilis et inconuulsa permaneat. hanc paginam inde conscribi. manu propria ut infra uidetur corroborare ac sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Heinrici tercii Regis inuictissimi. Eberhardus cancellarius uice Bardonis archicancellarii recognoui. Actum idus februarii. indict. VIIII. anno dnice. incarnationis. M. XL. I. anno autem domni Heinrici tercii. ordinationis eius XIII. Regni uero II. Actum Traiecti feliciter. amen.

---

1) Allg. Archiv. l. c. 10r Bd. pag. 209.

VDO comes Limburgensis tradit ecclesie sti. Adalberti quandam ancillam. 1061. [1]).

60.

J. n. s. e. i. t. Notum facimus presentibus et futuris. quod egregius comes. Vdo. de Lemburc propriam ancillam suam. nomine Walburgam. ad altare sti. Alberti. tradidit. hac ratione. ut singulis annis. in natalem ipsius martiris unum denarium persolueret. et eandem legem omnis propago ipsius obtineret. jtaque ipsa Walburga. postquam ancilla facta est. sancti adalberti recepit bonum sti. adalberti. cum Malgero legitimo uiro suo. et deinde rogante. et iubente ipso comite Vdone. ab omnibus fratribus anathematis sententia prolata est. ut quicumque hanc traditionem infringeret. anathemati subiaceret. Huic traditioni interfuerunt. idonei et legitimi testes. jpse comes Vdo. et Euerelmus de Solmania. et Wiricus. prepositus Sibertus. decanus Hezelinus. Folbertus. Giselbertus. Wiggerus. Gerhardus. et ceteri fratres. seruientes ecclesie. Willermus. Folkricus. Giselbertus. Huncelo. Anselmus. Wolbedo. et alii boni uiri. facta est hec annotatio. anno. incarnationis dnice. M. LXI. jndict. II. presendente Romane ecclesie Alexandro papa. Regnante Heinrico IIII. procurante Leodien. ecclesiam. Tidewino. episcopo. ad laudem et gloriam illius, qui est benedictus in secula. amen.

Quedam libera femina offerebat se sti. Adalberto ad altare in Soron. 1086. [2])

61.

J. n. s. e. i. t. Notum facimus presentibus et futuris. quod quedam libera femina nomine Dutha. deo sanctoque adalberto. ad altare in Sorun. libertatem suam offerens. hoc modo sese. et omnem posteritatem suam. censualem constituit. siue masculus sit. siue femina. postquam legitimum matrimonium inierit. unum denarium. soluat singulis annis. tria generalia placita in anno obseruet. Cum pari suo. absque licentia cum dispari. per licentiam matrimonium ineat. jn morte. omni penitus exactione careat. Eligant autem inter se unum de comparibus suis. qui censum aliorum recipiat. et fideliter respondeat. Huius rei testes sunt prepositus Eucco. Winandus aduocatus. Lambertus uillicus. Hargerus. Reinerus. de Wiliberual. Wascelinus de Corneces. et ceteri multi et boni uiri. Acta sunt hec anno incarnationis dnice. M. LXXXVI. jndict. X. Regnante imperatore Heinrico IIII. jn diebus ducis Godefridi. Heinrico episcopo presidente Leodien. ecclesie. ad laudem et gloriam illius. qui est benidictus in secula. amen.

HEINRICUS IV. liberat capitulum sti. Adalberti diuersis iniuriis oppressum ab aduocatia de Olne. 1103. [3])

62.

J. n. s. e. i. t. Heinricus diuina fauente clementia Rex. adiuuante celestis regis clementia. sanctarum loca ecclesiarum detinenda censemus. et promouenda. qua spe familia sti. alberti. de parrochia Olne. que

---

1) Allg. Arch. l. c. 6r Bd. pag. 221.
2) Allg. Archiv. l. c. 10r Bd. pag. 220.
3) Allg. Archiv. l. c. 10r Bd. pag. 220.

sita est in pago Ardennie. conductu prepositi Theoderici et fratrum ad nostrum auxilium confugit. uerbera. rapinas. et multas iniurias a subaduocatis eis illatas nobis deplorauit. Condoleniibus itaque tam principibus quam episcopis illorum miseriis et ammirantibus. super inauditis iniuriis. iudicatum est in presentia. nostra. quia post ducem unum solum aduocatum. qui bannum habeat a nobis debeant habere. et in tribus solummodo placitis generalibus in anno. debeant eum suscipere et seruitium ei dare. Si uero ipse legitimus aduocatus uoluerit. consilio prelati nuntium sub se constituere poterit. qui tamen nec sit aduocatus. nec ius placiti habeat sed iustum seruitium domini sui recipiat. Huic iudicio affuerunt et consenserunt Archiepiscopus colonien. Fridericus. episcopi leod. Obertus. Monasterien. Burchardus. dux Heinricus de Lemburch. comites Wibertus de Saxonia. Berengarius de Solzbach. Arnolphus de Los. liberi homines. Giselbertus de Duraz. Arnulphus de Rode. Giselbertus de Grules qui erat legitimus. eorum aduocatus. Facto itaque et diffinito iudicio precipiendo interdiximus aduocato Giselberto ne ulterius superponeret eis subaduocatum nec contra iusticiam requireret ab eis seruitium aut placitum. Tale est autem seruitium. quod ei debetur in tribus generalibus placitis per annum. XII. Mald. tritici et. XXX. et I. Mald. auene. VIII. porci. et IIII. porcelli. VIII. friskinge ouine. XXX et VI. pulli. XV. solidi ad uinum. Si uero aliquis pro culpa. ab aduocato deprehensus fuerit. consilio ministrorum debet eum tractare. non penitus confundere. Et ut hec nostre confirmationis pagina. stabilis et inconuulsa permaneat eam manu propria roborantes. sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Heinrici quinti Regis inuictissimi Albertus cancellarius uice Rothardi archicancellarij recognoui. Acta idus augusti. indictione VIIII. anno incarnationis dominice M. C. III. Anno autem domni Heinrici quinti. ordinationis eius. XIII. Actum aquis grani. feliciter. amen.

Liber uir Benelinus, qui cecus fuit, donat ecclesie sti. Adalberti predium in Baesweiler. 1130.

63.

J. n. s. e. i. t. Notum sit omnibus ste. dei ecclesie fidelibus. quod predium ecclesie sti. Alberti. in Bastwillre. datum in elemosina ipsi ecclesie a quodam libero uiro nomine Benelino. qui cecus fuit occulto dei iudicio. nec seruitium. nec placitum debet ulli aduocato. nisi aliqua culpa. uel iniuria interueniat. quam aduocatus secundum iudicium et legem patrie emendare oporteat. nec debet ibi esse iudex. aut uillicus. nec unus ex ipsis qui tenent. et colunt ipsum predium. Facta est huius institutionis annotatio. assensu comitis. et aduocati Gerhardi. prepositi Richeri. iudicis Tirici. sub testimonio fratrum ecclesie. et laicorum. quorum nomina subscripta sunt. Decanus Eppo. decanus Rudolphus. Elbertus Arnulphus. Saremannus. Willelmus. Watherus de Bruchen. Radulfus. Euerhelmus. Almerus. Albertus. et ceteri boni uiri. Actum est anno jncarnationis dnice. M. C. XXX. indict. VIII. regnante Lothario rege. Friderico colon. metropolim regente ad laudem et gloriam illius qui est benedictus in secula. amen.

Quicumque istam legem infregerit anathema sit.

Mulier nomine Senneheld donat singulis annis ecclesie sti. Adalberti 1 *denarium.* 1135.

64.

J. n. s. e. i. t. Notum facimus presentibus et futuris. quod quedam mulier nomine Senneheld. ancilla sti. Alberti. cum pertineret ad curtem in Vals. que est sti. Adalberti. hoc modo soluta est de curte. et

opposita est. ad altare sti. Adalberti. cum omni posteritate sua. congregatis in unum fratribus. multisque bonis uiris. fidelibus ecclesie. prepositus Richerus. et legitimus aduocatus Giselbertus de Grules. omnem exactionem curtis. erga eam et erga omnem posteritatem eius. exfestucauerunt. et ad altare sti. Adalberti. ipsam et propaginem eius apposuerunt ea conditione. ut unusquisque siue uir. siue mulier de supradicta matre. scilicet Sennehelt descendens. posquam ad nubiles annos uenerit. unum denarium singulis persoluat. ad altare in die dedicationis ecclesie. et ita liberi sint. tam in uita. quam in morte. ab omni penitus. exactione aduocatum nullum penitus (habeant) nisi legitimum aduocatum. qui bannum habeat de Rege. si necessarius eis fuerit in defensione alicuius iniurie. Huius rei testes. et approbatores sunt. prepositus Richerus. Giselbertus aduocatus de Grules. Decanus Elbertus. Arnulphus custos. Sarem. Robertus. Willelmus. Waltmannus. Anselmus. Hillinus. Lambertus. et ceteri fratres. Tiricus iudex. Tiricus aduocatus. Gerhardus. Sifridus. de Bulenheim. Anselmus aduocatus. Radulphus. Euerelmus. Wiricus. Reinoldus. Almerus. Werebertus. et alij multi. et boni uiri. Acta sunt hec anno jncarnat. dnice. M. C. XXXV. jndict. XIII. Regnante Lothario. jmperatore in diebus Walerami ducis. Alexandri episcopi leodien. Siquis hanc institutionem infregerit anathema sit. amen.

Capitulum sti. Adalberti elocat uineam in Jngelheim sitam 1168.

65.

J. n. s. e. i t. Malicia dierum exigente. statuque rerum mutabilium. compellente. sanum cuique est consilium. suc utilitati in posterum intendere et habundanti cautela prouidere. Notum igitur esse uolumus. omnibus cristi fidelibus. tam futuris quam presentibus. Wigandum uineam illam sti. Adalberti. que nominatur. Hüne et est in Engelheim. ea conditione a preposito. et fratribus recepisse. ut quamdiu ipse uiueret. annuatim duas amas uini et dimidiam. inde persolueret. eo uero uiam uniuerse carnis ingresso heredes eiusdem Wigandi. tres amas ecclesie per singulos annos soluere tenerentur. Facta autem sunt hec uidentibus. et audientibus. testimonium et assensum prebentibus. domno Richero tunc preposito. et fratribus ecclesie. Waltmanno. Equino. Burchardo. Lamberto. Magistro Therenua. Wirico cantore. Euerhelmo. Acta uero sunt hec. anno incarnati uerbi. millesimo. centesimo. LX. VIII. jndictione I Friderico imperante. Rudulpho leodien. Episcopo. Richero preposito.

Sigillum. †. Friderici.

CONRADUS prepositus sti. Adalberti donat bona sua in Consdorff intra Sinceke sita, ecclesiis B. M. et sti. Adalberti etc. 1192.

66.

In nomine dni. amen. Ego Conradus dei permissione decanus ste. Marie. et prepositus sti. Alberti in aquis. Notum facio omnibus. presentibus et futuris quod omnem possessionem illam. quam emi in pago Connesdorp. infra terminos de Sinceke constituto. pro remedio anime mee. et parentum meorum. tradidi ecclesiis. ste. Marie. et sti. Alberti. et monasterio sti. Johannis in porceto. et quicquid iuris habui in predicta possessione. in easdem ecclesias contuli. et ab eisdem sub annua pensione. uidelicet dimidie marce quousque uiuerem recepi. sub hoc tenore ut decanus sti. Alberti post decessum meum prefate possessionis

aministrationem et gubernationem habeat ipse. et omnes successores sui. hac conditione. quod in anniuersario meo ecclesie beate marie detur marca. quorum decem solidi distribuentur fratribus. sex denarii decano. et camerario dabuntur. sex uero sacerdoti et suis ministris. duodecim denarii hospitibus ecclesie. Ecclesie uero beati Alberti dimidia marca tradetur. hoc pacto ut quinque solidi. distribuantur inter fratres. et de duodecim denariis. tres habeat camerarius. et nouem distribuantur hospitibus illius ecclesie. Demum ferto dabitur monachis beati Johannis in porceto. ad refectionem. Hiis omnibus hoc modo diuisis. et distributis. quod super est de prouentibus iam sepius dicte possessionis. decanus beati Alberti. in suos pios et licitos usus conuertat. Possessio empta et iam dictis ecclesiis collata. hec est. area cum pomerio et horto. domibus. et horreo edificata. tria iugera uinearum et dimidium. quorum unum in Sinceke. secundum in Westheim. est situm. tercium et dimidium in ipsa uillula Connesdorp. Jbidem sunt tringinta nouem iugera terre culte. et quinque nemoris. et duo parua prata. Vt autem hec elemosina rata et inconuulsa et in perpetuum maneat. hanc cartulam conscripsi. et eam munimine sigilli mei roboraui. Acta sunt hec. Anno dnice. incarnationis. M. C. XCII. jndict. X.

Huius cartule actioni. interfuerunt legitimi testes. Canonici ste. Marie. Heinricus cantor. Werebertus magister. Heinricus celerarius. Ricolphus camerarius. Radolphus. Albertus. Steppo. Johannes. Canonici sti. Alberti Hermannus decanus. Reinerus. Heinricus. Heinricus. Engelbertus. Heinricus magister. Monachi porceten. ecclesie. Arnoldus abbas. Zacharias prior. Tiricus. laici quoque Tiricus. Bertolphus. Cono. Gerhardus. Johannes. aliique quam plures. tam clerici. quam laici.

HEINRICUS VI. iussit sculteto. scabinis et ciuibus aquen. quatenus concedant canonicis quam laicis sti. Adalberti de ecclesia in siluis. pascuis. pratis. aquis. etc. equàlem cum ipsis communionem 1192.

67.

H. dei gratia. Rom. imperator. et semper augustus. sculteto. aduocato. scabinis. et uniuersis. hominibus aquen. gratiam suam. et omne bonum. dignum iudicantes. et rationi consentaneum. ut qui onere collecte. et seruitij grauantur. commodum et utilitatem ab imperiali maiestate percip ant. mandamus uobis et presenti pagina. districte precipimus. quatinus sicut uiua uoce nuper iniunximus. et ex priuilegio predecessoris nostri. Heinrici. jmperatoris augusti cognouimus. hominibus de sto. Alberto tam clericis. quam laicis. equalem uobiscum communionem. in siluis. pascuis. pratis. aquis. et uniuersis aliis commoditatibus concedatis. et permittatis. et ut in hoc facto nulla dubitationis occasio. uel impedimentum. inposterum possit moueri. presens scriptum de bulla nostra iussimus apertum sigillari. Datum apud Sinceke. anno dni. M. CXCII. jndict. X. Quarto nonas Nouenbris.

Capitulum sti. Adalberti cessit Abbatie Steinfeldensi molendinum in Bolenheim. etc. 1196.

68.

J. n. s. e. i t. E. dei gratia steinueldensis abbas. A. prior totusque conuentus steinueldensis ecclesie omnibus cristi fidelibus inperpetuum. Nouerit uniuersitas uestra. inter monasterium steinueldense. et ecclesiam sti. Adalberti. sic conuenisse. quod ecclesia sti. Adalberti. monasterio steinueldensi. molendinum quod dicitur Bolenheim. iure hereditario contulit. et concessit. pro XX. maldris multure. dominicalis mensure

soluendis annuatim. et IIII. solidis colonien. monete. Soluitur autem medietas huius annone in festo sancti Martini. et alia in sollempnitate apostolorum philippi. et iacobi. Denariorum eciam prescriptorum media pars redditur in festo sti. Andree. et alia in cena domini. Preterea dabit prefatum monasterium. annuatim maldrum brasii. aduocato curie. pro quo erit liberum. ab omni placito aduocatie. nisi forte suborta querimonia. pro iure suo debeat respondere. Verum si abbas prefati monasterij. obierit. pro requisitione molendini. ipsum monasterium. dimidiam marcam colonien. monete tenetur reddere curie. Hec autem facta sunt. M. C. XC. VI. anno incarnationis dnice. Heinrico imperatore. de monasterio steinueldensi. his presentibus. Erenfrido abbate. Adam priore. Euerhardo subpriore. Herimanno celerario. Waldeuero cantore. Heinrico custode. laicis fratribus. elgero et thoma. et aliis omnibus fratribus ipsius monasterii. de ecclesia sti. Alberti in aquis. presentibus Cunrado preposito. Herimanno decano. Reinero custode. Engelberto cantore. Heinrico parrocho. Heinrico magistro. Nichoalaco celerario. et aliis omnibus fratribus ecclesie. de curia istis laicis presentibus. Philippo aduocato. Engilberto sculteto. et aliis omnibus tam scabinis quam mansionariis curie. que omnia. ut firma maneant. perpetuo. contra omnes aduersarios. munimine sigilli nostri. uolumus confirmari.

Ph. Rex dimisit bona Eccl. sti. Adalberti apud Jngelheim. libera etc. 1204.

69.

Ph. dei gratia Rom. Rex. semper augustus. Sculteto. et uniuersis hominibus in jggilenheim. gratiam suam. et omne bonum. Scire uolumus uniuersitatem uestram. quod nos bona sti. Alberti que habet apud jngelnheim. ab omni petitione. et exactione libera penitus dimisimus. et absoluta. sicut dnus. et frater noster. Heinricus imperator. diue memorie. pro remedio anime sue. libera ea dimiserat. sic et nos ea semper uolumus permanere. Mandamus ergo uobis. et districte per gratiam nostram precipimus. ut nullam umquam petitionem. uel exactionem in bona sti. Alberti ordinetis. sciturі. quod nos id. quod dnus. et frater noster Heinricus imperator. pro salute anime sue ordinauit. firmum semper uolumus conseruare.

Reinero castellano de Sulicheim datur curia in Moldeka in Hollandia in pensionem ab ecclesia sti. Adalberti. 1206.

70.

J. n. s. e. i. t. Ecclesie aquen. bte. Marie. et bti. Alberti omnibus inperpetuum. Notum esse uolumus. tam futuris. quam presentibus. quo pacto Reinero castellano. de Sulicheim. curiam nostram in Moldeka commiserimus forma talis est. jam dictus castellanus. et sui successores. ecclesiis prenominatis. de curia in Moldeke. IX. Marcas. camerariis ecclesiarum suo periculo allatas aquis. singulis annis in festo bti. Andree persoluent. nisi forte tanta fuerit guerra. quod nuncii ipsorum aquis secure. transire non possint. Tunc enim sex septimanis. et sine pena debent exspectari. Apud ecclesias iam dictas manebit in Moldeke sacerdotis deseruituri institutio. sic tamen quod ecclesie manum institutionis illi porrigent. quem castellanus uel sui successores ijdoneum aquis. miserint. castellanus. uel sui successores. omnes expensas circa ecclesiam in edificando. reedificando. luminaribus. archidiacono recipiendo. uel quibuscumque aliis modis faciendas. sufficienter prouidebunt. ita tamen quod salua maneat predicte pensionis aquis soluende integritas. Propter sterilitatem uel quecumque alia

infortunia pensio IX. marcarum non est inminuenda. Vtiliores enim anni. cum minus utilibus erunt compensandi. Curia et pensio soluendi manebit indiuisa. ita quod nec per plures heredes diuidetur nec aliquid uenditione. inpignoratione. inbeneficiatione uel quocumque alio modo. ab hac curia alienabitur ut sic semper ecclesie ad unam personam. et ad integram curiam. de solutione pensionis. habeant respectum. Castellanus Reinerus. primus scilicet in predicta curia pensionarius. et singuli sui successores. prouisionem siue commissionem predicte curie. de manu ecclesiarum recipient. et ratione requisitionis et recognitionis tres amas uini dabunt. fidelitatem ecclesiis facient et de termino soluende pensionis obseruando et de aliis que in hoc priuilegio conscripta sunt obseruandis. iuramentum prestabunt. Quod si post terminum solutionis faciende. aliquis sex septimanis soluere supersederit reus periurii. ab ecclesiis excommunicabitur. Si in excommunicationem per annum et diem permanserit. dominium et dispositio curie cum omni utilitate et integritate. sicut fuit ante contractum plenarie ad ecclesias redibit. Si autem curiam tamquam heres rehabere uoluerit. omnem pensionem non solutam. a primo tempore neglecte solutionis. usque ad tempus repeticionis integre persoluet. ita quod de perceptis. ab ecclesiis medio tempore nichil ei in solutionem pensionis uel ad aliquam utilitatem computabitur. et preterea tres amas uini. sicut in ipsa requisitione. persoluet. Et hec omnia erunt ei in penam negligentie. periurii et excommunicationis quam sustinuit. Si autem post decessum unius pensionarii. heres ipsius commissionem curie requirere et recipere fidelitatem facere iuramentum prestare de obseruandis. per annum et diem neglexerit. et tamen de prouisione curie se intromiserit. ab ecclesiis excommunicabitur. Et si in illa excommunicatione per annum et diem perdurauerit. dominium curie et amministratio ad ecclesias reuertetur. Quod si postea requisiuerit. et receperit penam predictam de tribus amis uini. et de pensione medii temporis soluenda non computatis sibi perceptis. sustinebit. Castellanus sepedictus et sui successores omnem iusticiam curie integre percipient. sic tamen quod homines et mansionarios curie in omni et eadem libertate teneant et protegant in qua predicte ecclesie eos primitus tenuerunt. jtem anniuersarium patris et matris. castellani ecclesie ille singulis annis in memoria habebunt. Preterea nuntii ecclesiarum in curia Moldeke euntes et uenientes in expensis pensionarii recipientur. Et simili modo nuntii ipsius pensionarii. nouem marcas ferentes aquis. erunt ab ecclesiis recipiendi. Ecclesie predicte. C. L. marcas. quas dedit castellanus pro aliquo bono excondicto dare tenebunus. ut euidens utilitas ipsarum de predicto contractu possit demonstrari Et ut hec omnia rata maneant. et inconuulsa sigillis duarum ecclesiarum et sigillo ipsius castellani presens scriptum duximus esse roborandum. Acta sunt hec anno dnice. incarnationis. M. CC. VI jndict. VIII.

Joannes de HUSDEN donat bona sua in Hollandia. Preposito sti. Adalberti 1217.

71.

In nomine domini. Ego iohannes de Husden. per litteras presentes profiteor. quod inductus multa precum instantia. Sibodonis prepositi. ecclesie sti. Alberti de aquis. aliorumque multorum. ipsi preposito omnia bona que sita sunt ubicumque in mea iurisdictione pro me et filio meo arnoldo. nostrisque heredibus libera dimisi et absoluta. ita quod omnia iura. omnes census. omnesque prouentus ipse prepositus inde de cetero integre percipiet preter bona illa. que fuerunt quondam Hermanni. qui uulgo dicitur beier. in quibus ius banni. quod prouenit tunc. quando agger terre aquam prohibens per nimiam inundationem. ruptus fuit. quem expensis meis reparaui michi saluum manebit. ita quod si aliquis heres predicti Hermanni. ad bona eadem hereditario iure. redire uoluerit. ad ipsa obtinenda , per compositionem banni michi factam poterit peruenire. Si uero contigerit

mori Rudolphum filium Samuelis. qui nunc recepit illa bona ab ipso preposito. ius quod de acquirenda illa hereditate competit. erit prepositi. et ita erit de omnibus aliis bonis. et sic ipse omnia bona. instituere debet. et destituere. et omne ius inde percipere absque omni inposterum cuiusquam impedimento uel contradictione. Et notandum quod in festo sti. Lamberti in curia Valdrike omnes census iam dictorum bonorum. sicut aliorum alias sitorum ipsi preposito sunt persoluendi. et sculteto eius assignandi. Ad cuius rei certam inposterum euidentiam. presentem cartam inde conscriptam. meo. abbatis de Bernen. et ipsius prepositi sigillis feci communiri. Huius rei testes sunt. Arnoldus abbas de Bernen. et fratres sui. Waltherus. et Fridericus. Arnoldus canonicus sti. Lamberti leodien. Heinricus persona de Hiddenchusen. Rubertus frater iohannis de Husden. et Arnoldus filius iohannis. Constantinus de Berge. Gerhardus Villicus de Umere. Luzo de Valdrike. et alii quam plures. Acta sunt hec apud Husden. anno incarnationis M. CC. XVII. jndictione. V. XV. Kalend. iunii. feliciter. amen.

FRIDERICUS II. dat facultatem capitulo ecclesie s. Adalberti extinguendi 6 prebendas. 1219.

72.

F. dei gratia Rom. Rex. et semper augustus. et Rex Sicilie. Dilectis suis. preposito et capitulo sti. Alberti de aquis. grasiam suam et omne bonum. Quia ueraciter intelleximus. quod ex multa spoliatione aduocatorum. aliisque pluribus ex causis. grauia dampna iam diu sustineatis. adeo quod stipendium cuiuslibet tam modicum sit. quod inde nec eciam uictum necessarium possit habere. conseruationi uestre intendere cupientes. clementer indulgemus. quatinus sex cum uacauerint non locatas prebendas retineatis. de quarum stipendiis reliqui fratres. in sustentatione necessaria. competens subsidium percipiant. usque dum dante dno. ecclesia uestra in aliis reditibus possit emendari. ad huius itaque rei promotionem. placet nobis. ut siqua bona remote sita. que uobis minus utilia sunt habetis. illa utili et sano consilio. in alia que uobis uiciniora sint et utilitati uestre magis proueniunt siue emptionem et uenditionem. uel alio modo. locare uel commutare ualeatis. ita tamen quod ius nostrum. et imperii saluum sit. ac indempnitati redituum ecclesie. quos nunc habet omnimodis prouideatur. quod in nullo. per nos minorentur. uel distrahantur. Datum. Frankenwort. XII. Kalen. Maij.

EMELRICUS abbas de Rode excommunicat Wilhelmum de Ubach etc. 1219.

73.

J. n s. e. i. t. Ego Emelricus abbas. prior. et Conradus celerarius. de Rode. judices auctoritate dni. pape. Vniuersis cristi fidelibus salutem inperpetuum. Ea que per iuris ordinem deciduntur iuste ne processu temporum ab aliquo eneruentur litterarum memorie decet commendari. jnde est. quod ad uestram perferimus noticiam. quod cum Wilhelmus de Vbach diceret se esse aduocatum. cuiusdam predii. de Bastwillre. quod benelinus uir libere conditionis. cecus occulto dei iudicio. in elemosinam dedit ecclesie bti. Alberti de aquis. hoc tenore quod idem predium. nec seruitium nec placitum debeat ulli aduocato. nec aliquis ibi sit iudex aut uillicus nisi prepositus ipsius ecclesie. uel unus ex ipsis qui colunt predium. quem ipse pro se statuerit. hoc reseruato. quod si talis culpa. uel iniuria ibi contigerit. que iudicium sanguinis expectat. illam comes. uel iudex suus. secundum legem patrie debet emendare. Et idem Willelmus

tam homines quam ecclesiam predictam iniuste grauaret. Auctoritate nobis iniuncta partibus euocatis. causam hanc ad id deduximus. quod ipse Wilhelmus. a nobis excommunicatus errorem suum recognouit. et preposito. et ecclesie predicte. iam dictum predium. cum omni iure sicut predictum est. et datum ecclesie liberum dimisit. jn manifesto protestans. quod ipse comitem juliacen. a quo se dicebat aduocaciam hanc accepisse. ad hoc factum maliciose induxerat. ipse autem prepositus et ecclesia. ipsum Willelmum benigne respexerunt. eique dederunt. VIII. marcas de quibus emeret predium. ab eisdem. in homagio teneret. ille autem hanc pecuniam. in predicto quodam apud Hallen. quod habet XXX. iugera. et domum. et aream. locauit. et illud Sibodoni preposito et ecclesie. absque alicuius contradictione libere dedit in proprietatem. jn presentia Giselberti. de Heimesberc. Walteri cantoris sti. Alberti. Nicholai de Emmendorp. Arnoldi Bolzem. Vdonis fratris Wilhelmi mauri. et Godefridi Velz uillici. dni. de Heimesberc. jpse quoque prepositus idem predium. pro se et ecclesia ipsi Willelmo dedit in feodo. et inde eum in hominem recepit. jtem Albero sconeuedere de Sinceke iniuriam suam. simili modo recognouit. et predicte ecclesie predium suum. quod habuit apud Consdorp. Sinceke. Westheim. et alibi. quod prepositus Conradus iuste comparauerat. liberum dimisit. et hoc manifeste fecit in iudicio de Sinceke. Gerhardo de Sinceke uillico presidente. jn presentia ministerialium imperij. Scabinorum. et hominum tocius uille. qui omnes unum testimoniale de hoc facto. a Sibodone preposito ipsius ecclesie acceperunt. et biberunt. Quia igitur hec per nostrum iudicium. auctoritate nobis commissa sunt consumata. presenti scripto duximus confirmanda. sub interminatione perpetue dampnationis firmiter precipientes. ne aliquis iam dictam ecclesiam in predictis bonis suis. apud Bastwilre. Consdorp. Sinceke. et Westheim. presumat de cetero molestare. solo sigillo abbatis pro nobis omnibus. has litteras fecimus communiri. Actum anno domini. millesimo. ducentesimo. XVIIII. Kalend. februarij.

HEINRICUS VII. ecclesiam s. Adalberti suscipit in suam protectionem. 1222.

74.

J. n. s. e. i. t. Heinricus septimus diuina fauente clemencia Rom. Rex. et semper augustus. Ad eterne uite premium et temporalis imperij decursum prosperiorem nobis proficere non ambigimus. si ecclesias dei conseruando ampliare studuerimus. et pia rerum largicione promouere. Qua propter notum facimus uniuersis jmperij nostri fidelibus. presentibus et futuris. quod nos ad mutacionem predecessorum nostrorum Regum et jmperatorum ecclesiam bti. Adalberti de aquis. in specialem maiestatis nostre protectionem recepimus. eique confirmamus uniuersa que ab antecessoribus nostris regibus siue jmperatoribus Rom. siue ab alijs cristi fidelibus iuste collata sunt. uel in posterum dante dno. poterunt conferri. uel que ipsa ecclesia iusto acquisicionis titulo per graciam dei nunc habet uel in posterum obtinebit. exprimentes specialiter qualiter jmperator. Heinricus eiusdem ecclesie fundator eandem ecclesiam omni libertate donauit. ipsique ecclesie omnem possessionem contulit. que est infra murum que dicitur. Bruel. cum areis. edificijs. agris. siluis. pratis. pascuis. aquis. aquarumque decursibus. exitibus. redditibus. uiis. inuiis. seu cum omni utilitate. que ullatenus haberi potest. similiter cum baptisterio et decimis. per consensum Baldrici nunc Leod. episcopi et agris imperii in Marlanes et Creuual. et decimis eorum. quibus omnibus ipsam ecclesiam dotauit. ita uidelicet. quod prepositus ipsius ecclesie uice imperii iudex et exactor supradicte possessionis et omnium habitantium in ea semper permaneat. Similiter eorum bona in jnglenheim. Speije. Consdorp et alibi circa Sinceke. Win-

tere. Vails. Olne et Sorun. Lendersdorp. Bolheim. Bastwilre et in partibus inferioribus. Vmere Maldrike. Diest. et Valdrike. cum omnibus eorum pertinentibus in Vthe et de Moldeke terciam partem. et alias ubicumque sita. et hominibus ipsis pertinentibus cum omni jure. judicio et utilitate. prout eidem ecclesie collata sunt. et in priuilegiis jmperatorum siue Regum confirmata. jmperiali auctoritate per paginam presentem ipsi ecclesie in perpetuum confirmamus. Statuentes et firmiter precipientes. ne aliqua umquam persona. humilis uel alta. secularis uel ecclesiastica predictam ecclesiam et prepositum eius. in predictis omnibus aliquo modo ledere. molestare. aut perturbare presumat. Quod si aliquis facere attemptauerit. a gratia imperiali exclusus. C. marcas auri pro pena componat. medietatem camere nostre. reliquam passis iniuriam. ad cuius rei euidenciam presentem paginam inde conscriptam. maiestatis nostre sigillo fecimus communiri. Huius rei testes sunt. Engelbertus colonien. ecclesie archiepiscopus. Sifridus magunt. archiepiscopus. Theodericus treueren. archiepiscopus. Hugo leodien. Otto traiecten. Adolphus Osenbrugen. Conradus Minden. Otto Werceburgen. Sifridus augusten. episcopi. Heribertus Werdenen. Florentius jnden. abbates. Heinricus dux Lotharin. Otto dux Bawarie. Lodewicus comes de Wirtenberc. Gerardus comes de Diets. Tidericus dnus. de Hemesberg. Gerlacus de Budingen. Warnerus de Bolant. Gerardus de Sinzeke. Heinricus de Rodenburch. et alij quam plures.

Sigillum [1]) dni. Heinrici septimi Romanorum Regis jnuictissimi. Ego Conradus spirensis et meten. episcopus. uice dni. Sifridi magunt. sedis archiepiscopi et tocius germanie archicancellarij recognoui. Acta sunt hec anno dnice. jncarnat. M. CC. XXII. jndict. X. Regnante dno. Heinrico septimo. Rom. Rege jnuictissimo. anno Regni eius et consecracionis eius aquis grani primo. Datum aquis grani V. jdus maij feliciter. amen.

HENRICUS VII. confirmat jurisdictionem Prepositi Eccl sti. Adalberti. 1230.

75.

HH. dei gratia Rom. Rex. et semper augustus. fidelibus suis. Villico. Aduocato. Scabinis. et uniuersis Burgensibus aquensibus. gratiam suam et omne bonum. Scire debetis quod concessiones jura et libertates a predecessoribus nostris jmperatoribus siue regibus ecclesijs imperii et nostris collatas. et a nobis innouatas. et per privilegium nostrum confirmatas. modis omnibus uolumus illibatas permanere. Vnde uobis mandamus et firmiter per gratiam nostram precipimus. quatinus fidelem nostrum. S. prepositum sti. Adalberti jurisdictione. quam a nobis habet de toto predio et hominibus in ipso manentibus. secundum quod in priuilegio nostro idem predium bti. Adalberti per certos terminos de nostra consciencia est distinctum. prout priuilegium jmperatoris Heinrici fundatoris ipsius ecclesie manifeste declarat et exprimit. integre gaudere permittatis. et de hac de cetero nullatenus uos intermittatis. sed ipsum prepositum et ecclesiam bti. Adalberti in omnibus agendis suis diligenter promoueatis. scituri pro certo. quod quicumque ipsum et eandem ecclesiam contra hoc nostrum mandatum molestare presumpserit. grauem nostre indignacionis offensam merito debet formidare. quia non omittemus requirere. penam in priuilegio nostro expressam. Datum spire anno dni. M. CC. XXX. Nonas decembris.

---

1) In rubra cera hispanica dependens ex filis serecis rubri, flavi et viridis coloris.

Conclusum capitulare, ui c ijus extensi fuerunt limites immunitatis etc. 1265.

76.

Nos Garsilius prepositus. Heinricus decanus totumque capitulum ecclesie sti. Adalberti extra muros aquen. leodien. dioc. notum facimus uniuersis. cum in ecclesia nostra talis habeatur consuetudo multis temporibus hactenus obseruata. ut quicumque apud nos in canonicum assumptus post exspectacionem duorum annorum secundum ritum et consuetudinem ecclesie nostre nobiscum in prebende sue plenariam peruenerit perceptionem nobis tunc conuiuium seu tractamentum jocundum faciet. nec non canonicis pro tempore residentibus tres marcas argenti puri infra spatium trium mensium prestauit. omnesque singulas ecclesie nortre consuetudines et iura faciet et servabit. quas quidem tres marcas. si infra predictum tempus non prestauerit. tunc cellarius noster. qui pro tempore fuerit. aut alius qui fructuum prebendarum nostrarum est distributor. de fructibus prebende illius qui de nouo est assumptus respondebit. donec prefatam summam noverit plenarie persolutam et si aliquis residentiam suam fecerit extra emunitatem claustri nostri. quatuor grossos ueteres ecclerie nostre annuatim assignabit. Et qui ob defectum habitationum in emunitatem claustri nostri moram facere non poterit morari saltim potest supra montem s. Adalberti aut in platea inferius supra lapideam uiam usque ad aqueductum molendini uulgariter pletzmolen nuncupati. et non ultra. nichilominus nullus prelatorum nostrorum aut canonicorum maxime in ecclesia nostra nobiscum residentium alicui alteri beneficio sine consensu capituli nostri ullatenus ualebit deseruire. Et quicunque concanonicorum in sacris ordinibus non fuerit constitutus nullam porcionem accidencium aucne. spelte seu aliquorum accidencium habere debebit. nisi saltem ei quidquam tribuatur graciose. nos autem uidentes huiusmodi consuetudines fore bonas utiles et laudabiles uolentes eas habere ratas. firmas et inconuulsas habito discretorum uirorum consilio de unanimi consensu de ordinacione uniuersa et singula predicta statuimus et ordinamus et inuiolabili obseruantia roboramus. Huius rei testes Garsilius prepositus. Heinricus decanus. Rey nardus scolasticus. Johannes thesaurarius. Wilhelmus cantor. ob rogatam concanonicorum nostrorum. Datum et actum in capitulo nostro ad hoc generaliter indicto. anno a natiuitate dni. millesimo ducentesimo sexagesimo quinto. crastino circumcisio nis dni.

Finis chartularii antiqui.

Sequentia ex chartulario medio seculi decimi octaui scripto.

HEINRICUS II. donat Ecclesiae s. Adalberti aquis. bona in Soiron. Soumage etc. 1005.

77.

J. n. s. e. i. t. Heinricus divina propiciante clementia Rex. jocunda paternitas et paterna eiusdem dei pietas, que multa nobis concessit, et ex multis pauca a nobis requirit, non ut indigeat, sed ut pro paucis multa et infinita recompensare possit, dum querit donum. et ad premium invitat et ad remunerandum festinat. Veneratio dulcis, in qua multa paucis, eterna mereantur caducis, nam huic dare debemus, qui nosmet ipsos nobis dans, a suis sua non recipit, ut habeat, sed ut centuplicata remittat. hujus spei gratia invitati, decimam Walecre et Goslar, et Trutmannie reditibus in omni censu, qui regalibus subjacet usibus, villas quoque, Soron et Solmaniam in pago Lewa, in comitatu . . . . sitas, Neroldeshausen etiam sitam in pago Natresgauwe in comitatu Widelonis, Horchem insuper in pago Colingauwe et comitatu . . . Kivenheim quoque in pago Meinvelt et comitatu Bethelini, creatori et dilatori nostro ad usum fratrum aquis

grani in Capella ss. Martyrum Adalberti et Hermetis habitantium concedimus, concessaque in perpetuum esse volumus, terram etiam eidem Capelle cum uno molendino circumjacente. Et ut hec concessio secundum votum nostrum et firma et inconvulsa maneat, scriptum hoc more antecessorum nostrorum et manu propria roboravimus et sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum dni. Heinrici per Christum invictissimi. Bruno cancellarius vice Willegici archicapellani recognovi. Actum est Nicembu . . . idus Augusti anno ab incarnatione dni. millesimo. V. regnante Rege Heinrico secundo anno regni eius. IIII.

THEODORICUS prepositus sti. Adalberti donat ecclesiae suae predium, ex propriis emptum in Boninge. 1100.

78.

J. n. s. e. i. t. Notum facimus presentibus et futuris, quod dnus. Theodericus prepositus predium quoddam, quod habebat in Boninge, absolute solum, et quod ipse de suo proprio emerat, tradidit ecclesie sti. Adalberti ad usum fratrum ibidem dno. servientium. ea videlicet conditione, ut Heinricus filius fratris sui Hexelonis teneat idem predium in hereditate, et solvat inde singulis annis fratribus tres solidos ulensis monete in festivitate sti. martini, et post eum proximi heredes ipsius. Huic legitime et devote traditioni testes interfuerunt legitimi et idonei, ipse prepositus Theodericus, nuntius imprimis Heribertus judex, decanus Fulbertus, Luwinus, Hildeboldus, Elgerus, Elbertus, Arnulfus et ceteri fratres. laici, Radulphus advocatus, Albertus, Ewinus, Rodulphus, Lubertus, Stefanus de Vals et Giselbertus et alii quam plures, boni viri et fideles. Facta est hec traditio anno incarnationis dominice 1100 ind. 2da. presidente roman. ecclesie Pascale apostolico, regnante Heinrico quarto hujus nominis imperatore, Otberto episcopo Leod. eccl. quicumque infregerit, aut quoquo modo fratribus alienaverit commodum hujus elemosine perpetuo feriatur anathemate amen. Stus. Adalbertus.

LUDOVICUS de Bourbon Episcopus Leodien. requirit capitulum Eccl. sti. Adalberti, ut ratihaberet permutationem pastoratus in Olne. 1103.

79.

Ludovicus de Bourbon Eps. Leodien. Dux Bullonensis et comes Lossensis fideles nobis in Christo sincere dilecti. Cum certa nuper sit concepta permutatio inter magistrum Arnoldum de Ghenych procuratorem magistri johannis Postel Rectoris parochialis ecclesiae de Oln nostre dioc. ex una, et fidelem nostrum computatorem magistrum Nicolaum Rohault Rectorem Capelle leprosorum in Spijx etc. nostre dioc. partibus ex altera. que quidem permutatio absque consensu vestro pro dicta ecclesia de Oln. cujus collatio et permutatio ad vos pertinere dignoscitur suum debitum sortiri non potest effectum, mittimus in presentiarum fidelem nostrum magistrum Arnoldum de Ghenych predictum de singulis instructum. Rogantes affectuose, quatenus ipsum benevole et gratiose expedire et tractare velitis, rem nobis gratam facientes, noscit altissimus, qui vos fideles nobis in christo sincere dilectis conservare dignetur. ex civitate nostra mensis aprilis die 22.

Jura Abbatis jnden. in Eccles. Sladinen. 1136.

80.

In nomine sancte et individue trinitatis Patris et filij et spiritus sancti. Ego Anno dei miseratione jndensium et Sladiniensium abbas, tam futuris quam presentibus in perpetuum. Quoniam sub monastica dispensatione et ecclesiastica sanctione jndensem et seladiniensem ecclesiam in cura domestica providendam suscepimus, necesse duximus, ut equo discretionis intuitu, fidelis quoque sensu (sensu) et fidelis exemplo que cuique competunt, conservare et tueri fideliter laboremus. Nos itaque seladinium venientes reperimus eiusdem ecclesie canonicos ibidem deo famulantes ex antiqua consuetudine, et astipulatione abbatum et predecessorum nostrorum a Wenrico usque ad nos ecclesiam de Seijllis sub tricennali et eo amplius possessione quiete et absque ulla canonica interruptione tenuisse et tenere, pro salute anime nostre et antecessorum nostrorum concessimus. jta uidelicet ut nobis et successoribus nostris singulis annis soluant censum XXX. scilicet solidos, in medio maio XVI. ad usus fratrum in anniversario ordinationis nostre, in purificatione videlicet ste. Marie. XV. in oblationibus vero XII. denar. piscium et totidem albos panes et duos sextarios vini, et quatuor nummos ad ceram. Si autem abbas in eandem villam non venerit, oblationes non dabuntur. a coopertura ecclesie de Seillis ego et successores nostri immunes sumus et absoluti. ad huius igitur traditionis firmitatem perpetualiter obtinendam sigilli nostri et ecclesie notitiam imprimimus et testimonio nostrarum personarum et multorum liberalium corroboramus. Signum Berefridi ecclesie nostre prepositi. signum Wenrici decani. signum Arnulphi custodis. Signum joannis prepositi. signum Leudonis, Godefridi, Albini. Actum est anno dnice. jncarnationis M. C. XXXVI. Regnante Lothario tertio, episcopante Alexandro, joanne archidiacono. Godefrido. etc.

Praepositus majoris Ecclesiae Leod. 24 bonuaria de terra sti. Adalberti in Anesch sita pro 21 Marc. in uadimonium recepit. 1173.

81.

J. n s. e. i. t. Richerus dei gratia Ecclesiae sti. Adalberti humilis (prepositus) et Everelinus Decanus tam modernis quam posteris notum esse volumus, quod dnus. Heinricus ste. leod. majoris ecclesiae praepositus terre sti. Adalberti, que est in Anesch, 24 Bonuaria pro 21 marcis ab herede Teoderico de Vileir consentiente ecclesia nostra, cujus proprietas est, in vadimonium recepit. Si itaque heres debitum censum, videlicet 20 Solidi leodien. monete statuto tempore, scilicet in Epiphania domini non persoluerit, et si Ecclesia dno. preposito per nuncium suum debitum censum Ecclesie persolvat, et quicquid ejusdem terre residuum fuerit, alia scilicet 24 Bonuaria vadimonio alligatum, sue potestati subjacebit. Si enim heres predictam terram redimere voluerit quarto anno hujus pactionis seu conditionis licebit, quod si non fecerit post quolibet anno in festo bti. Remigii id facere licitum est. Usque hec firma et inconvulsa permaneant, placuit scriptum hujus testimonii sigillo patroni nostri muniri et nomina testium subscribi, que sunt hec: Richerus ipsius ecclesie prepositus, Everclinus decanus, Burchardus vice dominus, Waltmannus Ecquinus, Jheremias Scholasticus, Joannes cantor, Reinerus custos, Alardus, Lambertus, Heinricus, Burchardus, Heinricus, Reinerus canonici. Werenbertus aquensis magister, Waleramus ibidem canonicus. Alardus miles de Geleirmon. Facta sunt hec apud stum Adalbertum aquisgrani. Anno dnice. jncarn 1173. jnd. 6. regnante victoriosissimo jmperatore Friderico. ad laudem et gloriam coelestis jmperatoris, cujus imperium permanet in secula seculorum amen.

Conventio Praepositi cum Capitulo de bonis in Hollandia sitis. 1189.

82.

J. n. s. e. i. t. sancta dei ecclesia naturam rerum attendens transitoriam et lubricam hominum memoriam pro dispentatione et necessaria negotia scriptis eternari instituit. Notum igitur esse volumus tam futuris quam presentibus, quod ego Conradus dei gratia Ecclesiae s. Adalberti prepositus et fratres ejusdem Ecclesiae in hoc convenimus, quod ipsi fratres universam administrationem habebunt tam prepositure quam suam in bonis terre inferioris, videlicet in Umere, in Dhieste, in Waldrich, et in attinentibus ad illas curias. Hoc pacto, quod annuatim michi preposito dabunt tres marcas et dimidiam usque ad festum sti. Andree, nisi forte generalis inundatio aquarum contingat, cujus infortunio nichil possit solvi de curiis tunc soluto servitio advocatorum, si quid remanet, prepositus habebit tertiam et fratres duas partes. Si vero contingat particularis inundatio vel alius casus, propter quem administratores cogantur dimittere vel tertiam vel medietatem sine fraude et bona fide. si fratres tertiam dimiserint, prepositus de annua sua pensione accipiet duas partes, si vero dimiserint medietatem, prepositus accipiet medietatem sue pensionis. Ut autem hoc inconvulsum et stabile permaneat, pro pace nostra et commoditate fratrum, talis pactio interecessit, ut si michi preposito placuerit resilire ab hoc pacto, fratribus solvam decem Marcas, et e contrario, si fratribus contra hoc pactum venire placuerit, michi preposito tenebuntur et ipsi decem marcas persolvere. Anno incarnati verbi 1189. jnd. 7 acta sunt hec. Testes autem hujus conventionis sunt humillimi fratres Ecclesiae ste. Marie aquen. Heinricus cantor, magister Werenbertus, Albertus, Crispinus, Stephanus parochianus; fratres sti. Adalberti: Reinerus custos, Marsilius, Heinricus, Engelbertus et ceteri omnes.

CONRADUS prepositus legat Ecclesiae jus suum in villas Olne et Soiron. 1197.

83.

In nomine domini amen. Notum sit universis, ad quos hoc scriptum pervenerit; quod ego Conradus dei gratia prepositus sti. Alberti in aquis pro commodo et utilitate pauperum manentium in Olne et Soron accepimus cum Wiggero de Wegge advocatiam predictarum Villarum a Waggero in pignore pro 31 marcis, hac conditione quod ipse Waggerus non redimet nec usque ad duos annos, et si ipse non fuerit, heredes non rediment, nec usque ad tres annos. Jnitium autem horum annorum est in purificatione bte. Marie ante expeditionem jerosolomitanam, et postea de anno in annum poterit redimi. Ego autem Conradus de predictis marcis dedi 16 marc. colonien. 12 solidos pro me et easdem legavi. Ecclesiae sti. Adalberti, si ego non super essem. Predictum autem pignus mecum receperunt dominus Cono aquensis et Gerardus filius ejus, etsi aliquis hominum in impedimentum vel gravamen aliquod facere, dicendo se aliquid juris habere in advocatia, me ab omni dampno et lesione debent absolvere. Postquam moniti fuerint infra quindecim dies. Predictus Wiggerus et avunculus suus Reinerus et Simeon de Viler et Gerardus de Hoescimont, et si non facerent, aquis venire debent, et nunquam recedere sine licentia mea. Hoc enim fide data in manus meas et predictorum Cononis et Gerardi promiserunt, Wiggerus autem socius meus hoc fideliter promisit, quod in advocatia nichil sine consilio meo statuet, vel ordinabit, et omnimodam fidelitatem in societate servabit. Etsi in aliquo contra istud pactum veniret, isti tres predicti, scilicet dnus. Rei-

nerus et Simeon et Gerardus, postquam moniti fuerint, infra qnindecim dies facient emendari, et si non fuerit emendatum, aquis venire debent, et nunquam recedere sine licentia mea. Huic autem pactioni interfuerunt Cono aquensis, Gerardus filius ejus, Gerardus filius domine Gertrudis, Simon de monte, Herimannus advocatus de Harna, Desiderius de Mormasnil, Baldewinus de Soron et frater Wiggeri et Waggeri, Reinerus canonicus sti. Alberti et multi alii. Postea vero aquis in domo mea Waggerus per manum domini sui, domini Theoderici de Hufalis predictam advocatiam in pignore imposuit, et fidem dedit, quod omnem pactionem prescriptam servabit. Hujus autem rei testes sunt: Theodericus de Lennecha, Simon de monte, Gerardus aquensis, scabini. Heinricus longus, et Heinricus Lovezun, Heribertus filius Wazonis, jonas, Anselmus de Molendino et alii quam plures.

HEINRICUS II. fundat 20 *prebendas Ecclesiae s. Adalberti.* 1010.

§4.

Anno ab jncarnatione dominica 1010 Heinricus Bavarus, Heinrici ducis Bavari filius, cognomine claudus, nonagesimus imperator, hujusque nominis primus seu ut alii volunt. secundus, catalogo divorum adscriptus, qui celibatum cum Cunigunde regina conjuge sua inter sanctas quoque virgines relata duxerit, collegium canonicorum divi Adalberti martijris inter alia fundavit aquisgrani, quod praediis ministerialibusque ornamentis atque immunitatibus mirifice exaltavit, viginti canonicis de suis dominiis bonisque patrimonialibus providit: nam eis inter cetera contulit et mera liberalitate concessit dominium directum predictae villae de Olne. Cujus adhuc in praesentiarum dicti canonici trifunsarii existunt, quemadmodum ipsius villae scabini statutis temporibus praefinitisque diebus ter quot annis palam coram omnibus profitentur et recordantur. Porre dicti canonici, ut suorum subditorum bellicis calamitatibus incessanter a duce limburgensi oppressorum quieti et tranquillitati consulerent et ab indebitis eos molestiis et vexationibus liberas redderent ducentis et viginti annis a praenarrata collatione, praedictum serenissimum jmperatorem eis facta, posteaquam Heinricus II. filius Heinrici ducis brabantiae dictus magnanimus ex Mechtilde filia comitis Bolloniae terram de Dalheim bellica manu obtinuisset circa annum dni. 1240., eundem in suorum subditorum advocatum et defensorem, ob crebras Limburgensium incursiones assumpserunt, eique ob id quotannis numerare ex duabus partibus majoris decimae, ratione collationis ordinariae Ecclesiae dictae villae ad eos spectantis et pertinentis cum certis quibusdam minutis juribus, quorum scabini supradicti adhuc hodie recordantur. 12 modios speltae pactus et mensurae leodiensis cum quartuor sextariis consimilibus atque octo modios avenae mensure aquensis efficientes sex modios pactus leodiensis sponte se obligarunt, et ultra dederunt. De cujus jmperatoris et conjugis suae sanctitate et erga ecclesiam munificentia, si plura requiras, consule chronica Lectoribus ob oculos hic ponentia etc

Concordat cum antiquo Registro parochialis Ecclesiae de Olne de verbo ad verbum per me collatam Notarium brabantiae, Martinum Hooen.

Libera mulier Alluendis tradidit se diocesis Aquensis eccl. bte. Marie. 1108. [1]).

85.

J. n. s. e. i. t. Notum sit omnibus fidelibus Christi tam presentibus quam futuris quod Alluendis libera mulier propter salutem anime sue et spe auxilii ab Aquensi ecclesia tradidit se dijocesi Aquensis ecclesie beate Marie hac lege ut vir de progenie ejus solveret ecclesie quatuor denarios in purificatione beate Marie. femina vero duos. ita ut siquis eiusdem gentis mercator esset nec definitum censum statuta die solveret. propterea quod a loco suo abesset dans operam mercature vel ad orationes sanctorum profectus sine omni existimacione incurie exspectaretur et a reverso diebus octo post exigeretur census. quodsi idem vel aliquis alius forte renueret dare memoratum censum advocatus cogeret eum venire ad curiam Richele et exinde respondere judicio scabini. At quicunque de genere memorate femine nascerentur, propter nullam aliam rem nisi propter retentionem census venirent in placitum coram advocato nec alicuius juris preter supradicta essent obnoxii. His ita constitutis Alburgis filia predicte Alluendis quatuor filios habuit. Rodulum johannem Warnerum Remardum, totidemque filias scilicet Holdam Belelendem Vodam jvam que filium peperit Adelardum. memoratos autem quatuor filios Alburgis et Adelardum filium jve coegerunt venire ad curiam Richele Arnulfus de Hestoel advocatus aquensis ecclesie Elbertus de Mulance qui sub eo tenuit advocatiam, Albertus prepositus Aquensis ecclesie, et Cancellarius Regis Lietbertus qui vicedominus eius fuit, volentes eorum jus infringere. Sed tandem ibi patefacta veritate et tam testimonio quorundam superstitum qui interfuerant memorate traditioni Alluendis et sanctioni quam jurejurando quinque supradictorum virorum duarumque feminarum Alburgis et Richlendis comprobata coram villico Suiberto et scabinis istis Gilleberto Litardo Hugone Alberto de Bubail Heriberto de Bubail Reinero de Mortire Waltero et tota gente curie, non solum a labefactatione juris destiterunt verum etiam consenserunt ut jus illud Karta sigillata confirmaretur et sub anathemate interdiceretur, ne quis amplius auderet illud violare. Hoc itaque confirmatum est interdictumque sub pena anathematis. nequis deinceps supra expositum jus istius familie aliqua ex parte infirmare vel violare temptet. Hujus rei fuerunt testes hi canonici aquensis ecclesie. Hezzelo Decanus. Hermannus magister. Erleboldus cantor. Albertus presbijter. Dodo subdiaconus. Hi laici Herbertus judex. Radulfus. Gillebertus de Richele qui erat exactor census. et multi alii. Actum est hoc ab incarnatione domini anno M. C. VIII. jndictione I. regnante imperatore Heinrico tertio Oberto administrante Leodiensem Episcopatum.

Ex originali.

---

1) Allg. Archiv. von Ledebur l. c. 10r Bd. pag. 222.

Vidimus

Privilegiorum hujus monasterii sti. Cornelii jndensis. de anno dni. 1540. *die* 18. *Decemb.*

In nomine domini amen. Vniuersis et singulis has presentes litteras siue hoc praesens publicum jnstrumentum visuris, lecturis, seu legi audituris joannes Schoinroidt Regiae et jnsignis beatae Mariae, et Ambrosius Schenarts sti. Adalberti urbis Aquensis Ecclesiarum Decani salutem in dno. sempiternam. Notum sit uniuersitati vestrae, quod anno dni et die infrascriptis, coram nobis in notariorum publicorum testiumque infrascriptorum praesentia constitutus Venerabilis et religiosus vir dnus. Franciscus de Ghore Prior ac locum tenens Rdi. Patris Dni. Rutgeri ab Anstell dei gratia Abbatis jmperialis monasterii sti. Cornelii jndensis colonien. dioc. eoque nomine certas litteras Priuilegiorum octo videlicet numero, dicto monasterio per recolendae memoriae Ludovicum jmperatorem, Ludovicum Regem, Otthonem Regem, Otthonem jmperatorem, Otthonem III. jmp. et Henricum IV. Romanor. Regem gratiose datas et concessas in pergameno litteris admodum antiquis, pro veteri more descriptas, Necnon jnstrumentum sententiae et rei iudicatae pro libertate et jmmunitate praefati monasterii et eius subditorum de non exolvendo Theloneo per senatum civitatis colonien. ex commissione recolendae memoriae Friderici jmperatoris anno dni. 1155 latae et publicatae etiam in pergameno, scriptum nobis in medium exhibuit ac nos debita cum instantia interpellavit et requisivit quatenus literas et privilegia huiusmodi videre et diligenter inspicere. ac per Notarios publicos infrascriptos exemplari et transsumi ac in publicam transsumptorum formam redigi mandare nostramque auctoritatem desuper interponere vellemus ac dignaremur. Nos itaque joannes Schoinroidt et Ambrosius Schenarts decani antedicti litteras easdem coram Notariis et testibus infrascriptis in manus sumpsimus easque vidimus et diligenter inspeximus. Et quanquam priorum quatuor privilegiorum. quae inferius per ordinem descripta sequuntur, sigilla temporum forte diuturnitate perierint ac deperdita fuerint, ipsas tamen literas quantum ad scripturas, signa et subscriptiones attinet, integras admodumque vetustas reperimus, descriptas etiam eo more et forma, qua similia tam vetusta privilegia descripta visuntur, adparebant jnsuper in fine litterarum earundem maculae sive indicia jmpressionis sigillorum, quae olim eis impressa fuerant. Quintum vero Otthonis tertij privilegium similiter quantum ad scripturam. signum, et subscriptionem attinet integrum reperimus, sed sigillo impresso carens, nisi quod aliquot sigilli pervetusti frusta eidem adiacebant, cujus litterae ob vetustatem et confractionem discerni commode non poterant; sextum autem privilegium, quod ab eodem Otthone III. emanatum fuit, necnon et litteras senatus colonien. tam quod scripturam quam sigilla integra, omnique suspicione carere comperimus. Postremo quoque Heinrici IV. letterae integrae per omnia adparebant nisi quod sigillum eis impressum confractum erat, quod tamen clare adhuc discerni potuit. Visis itaque diligenter hoc pacto litteris et privilegiis huiusmodi inspectis nos ad requisitionem praefati dni. Prioris tam praefati Dni. Abbatis quam monasterii sui nomine id petentis easdem litteras sive privilegia per Notarios publicos infrascriptos exemplari mandavimus et transsumi ac in publicam formam redigi, nostramque illis authoritatem, quoad nos fieri potuit, interposuimus prout interponimus per praesentes. Tenores vero litterarum sive privilegiorum eorundem sequuntur per ordinem et sunt tales.

§6. [1]

In nomine Dni. dei et saluatoris nostri jhesu cristi. Hludovicus diuina ordinante prouidentia jmperator Augustus, omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, vicarijs, centenarijs, thelonarijs, actionarijs vel

1) Anno 814. Martene et Durand, collect. amplis. T. I. pag. 76. Miraei l. c. T. III. pag. 288.

omnibus rempublicam administrantibus seu ceteris fidelibus ste. dei ecclesie et nostris, tam presentibus quam et futuris. Notum sit, quia concessimus monasterio nostro, quod dicitur jnda, quod est dedicatum in honore dni. et saluatoris nostri jhesu cristi, constructum in silua nostra arduenna, ubi etiam nunc religiosus uir Benedictus abbas preest, et omni congregationi ibidem deo famulanti, omne theloneum tam de nauibus, que per diuersa flumina imperij nostri, pro qualibet re discurrunt. quam et de curris et saginarijs [1]) necessarijs ipsius monasterij uel congregationis ibidem deo famulantis deferentibus, uel de quolibet alio negotio undecumque fiscus theloneum exigere poterat in integrum concessimus, ut nullus quilibet theloneum aut aliquam exactionem accipere aut exigere presumat. Vnde hanc nostre auctoritatis preceptionem. predicto monasterio et congregationi ibidem degenti fieri iussimus, per quod iubemus atque precipimus ut naues uel curra et saginarij seu quelibet alia vehicula ad diversa negotia ipsius monasterij peragenda et ad necessitates eius subleuandas per uniuersum imperium nostrum libere discurrant, et nullus publicus iudex uel quilibet exactor iudiciarie potestatis aut thelonarius de nauibus, aut de omnibus, que supra memorata sunt, undecumque uidelicet fiscus theloneum exigere potest, ullum theloneum aut ripaticum aut portaticum aut pontaticum, aut salutaticum, aut rotaticum, aut pulueraticum, aut cisponticum, aut trauaticum, aut ullum occursum, uel ullum censum, aut ullam retributionem ab eis requirere aut exactare presumat, sed licitum sit absque alicuius illicita contrarietate uel detentione per hanc nostram auctoritatem, naues, curra, saginarios, uel cetera uehicula et homines, qui hec preuidere debent cum his, que deferunt per uniuersum imperium nostrum libere atque secure ire et redire, et si aliquas moras in quolibet loco fecerint, aut aliquid mercati fuerint aut uendiderint, nichil ab eis prorsus ut dictum exigatur. Hec vero auctoritas ut pleniorem in dei nomine obtineat uigorem, et omnibus uerius nostra esse credatur et diligentius conseruetur de annulo nostro subter iussimus sigillari.

Durandus diaconus ad uicem Friderici [2]) recognouit. Data sexto jdus februarij anno cristo propitio octavo imperii domni Hludowici serenissimi augusti, jndictione XIV. Actum aquis grani palatio regio in dei nomine feliciter amen.

---

87. [3])

J. n. s. e. i. t. Hludowicus gratia dei. Rex. si igitur locis sanctorum sacratissime dedicatis beneficia largimur plurima, petitionibusque ibidem deo iuge famulantibus assensum prebemus, et nobis apud remuneratorem dnum. propitiatorem liquide credimus et interuentione sanctorum nostri regni nostrorumque stabilitatem posse accumulare non ambigimus. Quocirca comperiat omnium sancte dei ecclesie nostrorumque fidelium presentium siue futurorum sagacitas, quia ob amorem dei omnipotentis et emolumentum animarum genitoris ac genitricis seu nostra totiusque regni nostri stabilitate, seu ad petitionem fidelis nostri Adalongi abbatis largimur res proprietatis nostre monasterio jndensi constructo in honorem dni. et saluatoris nostri jhesu Cristi, unde et predictus Adalungus rector esse uidetur, uillam iuris nostri nuncupatam crassiniacum cum omnibus mancipijs et rebus ibidem aspicientibus. unde et hanc nostram auctoritatem fieri iussimus per quam firmamus atque transfundimus suprataxatas res predicte cellule sti. salvatoris cum omnibus ap-

---

1) vel sagmariis.

2) vel Fridugisi.

3) Anno 842.

appenditijs, hoc est cum mancipijs utriusque sexus, cum terris, siluis, pratis, aquis, aquarumue decursibus, quatenus in stipendijs fratrum ibidem deo famulantium, ceterisque necessitatibus, que hactenus fiscus noster exegit, ammodo augeatur, atque a rectoribus ipsius matris ecclesie preordinetur seu exigatur, nullo nostro iudice contradicente. Et ut hec auctoritas largitionis nostre inconuulsa ualeat permanere manu nostra subterfirmauimus, et anulo nostro eam subter iussimus sigillari.

Signum Hludowici gloriosissimi Regis. Adalerdus diaconus ad uicem Grimaldi recognouit. Data VII. Kal. aprilis anno cristo propitio II. Regni domni Hludowici gloriosissimi Regis indict. V. Actum aquis grani palatio regio in dei nomine feliciter amen.

---

88. [1]

In nomine dni. dei et salvatoris nostri jesu cristi. Ottho (I) diuina propitiante clementia Rex cum locis diuino cultui mancipatis ob amorem dei optimi congruam facimus et imperialem morem decenter implemus id nobis profuturum ad eterne remunerationis premia compescenda ueraciter credimus Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum presentium necnon et futurorum industria qualiter dilectus germanus noster Brun nomine et Berchetoldus jndensis monasterij uenerabilis abbas, nostram adierunt postulantes regalitatem, ut priuilegia, que antecessores nostri Reges ad monasterium. quod est in honore dni. et saluatoris nostri jhesu cristi super fluuium jnda constructum, ubi prefatus uenerabilis abbas Berchetoldus preesse dignoscitur. donauerunt ea uidelicet nostre auctoritatis munimine renouaremus. Eorum uero petitiones benigno animo suscipientes iussimus inde hoc presens preceptum conscribi, per quod uolumus, firmiterque iubemus, ut nullus iudex publicus superioris aut inferioris ordinis reipublice procurator ad causas iudicio more audiendas, in cellulas, ecclesias aut uillas seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet prouincijs aut territorijs imperij nostri possidet uel deinceps in iure ipsius monasterij diuina pietas uoluerit augeri, ingredi presumat, nec freda aut tributa uel mansiones, aut paratas, aut theloneum, ripaticum, postaticum, pontaticum, salutaticum, rotaticum, puluraticum, trabaticum, aut fideiussores tollere aut homines tam ingenuos quam seruos super terram istius monasterij commanentes distringere nec ullas publicas functiones aut redibitiones uel illicitas occasiones requirere, quibus in aliquo idem monasterium sibique subiecti aliquod iniuste patiantur incommodum nostris futurisque temporibus quisquam temerarius existat, qui id faciendum illicitam sibi potestatem attribuere audeat, sed liceat memorato abbati suisque successoribus omnes res predicti monasterij sub immunitatis nostre defensione quieto ordine possidere, et quicquid de rebus prenotati monasterij fiscus sperare poterat. totum nos pro eterna remuneratione predicto concedimus monasterio sicut et predecessores nostri ut perhennibus temporibus in alimonia pauperum et ad stipendia monachorum ibidem deo famulantium proficiat in augmentis, quatenus ipsos seruos dei, qui ibidem deo famulantur, pro nobis proleque nostra et stabilitate regni nostri a deo nobis collati, eiusque misericordia per immensam conseruandi iugiter misericordiam exorare delectent. Et ut hec auctoritas nostris futurisque temporibus dno. protegente ualeat inconuulsa manere, manu propria nostra subter firmauimus, anuloque nostro corroborari precipimus.

Signum domni Otthonis inuictissimi Regis Brün cancellarius ad uicem Rodberti archicapellani recog-

---

1) Anno 948. Martene l. c. T. I. pag. 290. Miraei l. c. T. III. pag. 288.

noui. Data VI. nonas Maij. Anno dni. D. CCCC. XLVIII. indict. VII. Regnante pio Rege Otthone. Anno XIII. Actum aquis grani palatij in dno. feliciter amen.

89. [1]

J. n. s. e. i. t. Ottho diuina prouidente clementia jmperator augustus. omnium fidelium nostrorum petitiones iuste et rationabiles auribus nostre serenitatis infusas oportet implere, presertim tamen eas, quas pro utilitate ecclesiarum sibimet commissarum nobis suggerunt, quia deum nobis inde remuneratorem promereri eosque ob hoc deuotiores ac promptiores in nostro permanere credimus obsequio. Quocirca nouerit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum industria qualiter ste. jndensis ecclesie monachi nostram adeuntes serenitatem nimium postulabant, quod priuilegium sibi abbates inter se eligendi tam a pijssimo genitore nostro quam a ceteris predecessoribus nostris regibus uel imperatoribus hactenus concessum, nostre renouationis auctoritate roboraremus. Quorum petitioni gratanter nos annuentes deuotiusque ob id genitrici nostre dilectissime commonenti obsequentes, eoquod temporale commodum eterne remunerationis gratia diuina inspiratus illuminatione nihili penderat. Erwicum illustrem uirum antenominato prestituimus monasterio pastorem, priuilegium etiam quod predecessorum nostrorum temporibus obtinuit per nostram corroborationis auctoritatem firmauimus. Ea quoque ratione ut antedictum monasterium, omnisque illa sta. familia nisi regie uel imperiali potestati sub obsequio seruitutis subderentur neque beneficiario iure alie cedere potestati. post dicessum uero prescripti abbatis Erwici, si quis inter eos idoneus reperiretur, qui eis presse ac prodesse sciret secundum institutam normam eligere sibi liceret abbatem, nullaque potestas absque consensu et uoluntate eorum, monachum quempiam ex quolibet monasterio in presignato monasterio pro aliqua occasione committeret. Vnde in postmodum aliqua oriretur, dissensio, ut autem hoc nostre auctoritatis preceptum nostris uel successorum nostrorum temporibus ad nostram eorumque anime saluationem uigeat ac ratum per plurima annorum curricula inuiolatumque obseruetur manu propria subter firmantes, anuli nostri impressione decreuimus assignari.

Signum domni Otthonis magni et inuictissimi imperatoris augusti. Vuilligisus cancellarius uice Rodtberti archicapellani recognoui. Data anno incarnationis dnice. D. CCCC. LXXIIII. jndict. I. Anno regni domni Otthonis XIII. imperij VI. Actum Traiecto in dno. feliciter amen.

90. [2]

J. n. s. e. i. t. Ottho (III) diuina fauente clementia Rex. omnium fidelium nostrorum petitiones iuste et rationabiliter auribus serenitatis nostre infusas oportet implere presertim tum eas, quas pro utilitate ecclesiarum sibimet commissarum nobis suggerunt. Quia deum nobis inde remuneratorem promereri liquido credimus. Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum presentium necnon et futurorum industria, qualiter Erwicus jndensis cenobij uenerabilis abbas, una cum sibi subiecta cateruula nostram adierunt postulantes regalitatem, quo priuilegium sibi abbates inter se eligendi tam a pijssimo genitore nostro, quam a ceteris predecessoribus nostris regibus uel imperatoribus hactenus concessum nostre renouationis auc-

1) Anno 974. Martene l. c. T. I. pag. 335.
2) Anno 985. Martene l. c. T. I. pag. 335.

toritate roboraremus. Quorum petitioni gratanter nos annuentes, deuotiusque ob id genitrici nostre dilectissime commonenti obsequentes priuilegium, quod predecessorum nostrorum temporibus obtinuerunt per nostram corroborationis auctoritatem firmauimus. Ea uero ratione. ut ipse abbas nulli nisi regie uel imperiali potestati sub obsequio seruitutis subdatur. neque iure cedat alteri potestati. post decessum uero eiusdem abbatis liceat eis secundum institutam formam sibi eligere abbatem. nullaque potestas absque consensu et uoluntate eorum monachum quempiam ex quolibet monasterio in presignato loco pro aliqua occasione constituat. unde in postmodum aliqua oriatur dissensio. decreuimus quoque hoc preceptum conscribi, per quod uolumus firmiterque iubemus, ut nullus iudex publicus superioris aut inferioris ordinis reipublice procurator, ad causas iudicio more audiendas. in cellulas, ecclesias, aut villas, seu reliquas possessiones. quas moderno tempore in quibuslibet prouincijs aut territorijs nostri imperij possidet. uel deinceps in iure ipsius monasterij diuina pietas uoluerit augeri. ingredi. presumat. nec freda aut tributa uel mansiones aut paratas aut theloneum ripaticum, portaticum. pontaticum. salutaticum. rotaticum. pulveraticum. trabaticum. aut fideiussores tollere. aut homines tam ingenuos quam seruos super terram istius monasterij commanentes distringere. nec uillas publicas functiones aut redibitiones uel illicitas occasiones requirere. quibus in aliquo idem monasterium sibique subiecte aliquod iniuste patiantur incommodum nostris futurisque temporibus quisquam temerarius existat. qui ad id faciendum illicitam sibi potestatem attribuere audeat. sed liceat memorato abbati. suisque successoribus omnes res predicti monasterij. siue circa ipsum locum seu ubique iacentes culta et inculta sub immunitatis nostre defensione quieto ordine possidere. Et quicquid de rebus prenotati monasterii fiscus sperare poterat, totum nos pro eterna remuneratione predicto concedimus monasterio. sicut et predecessores nostri. Decima uero omnis dominicate culture ad usus fratrum pertinere iubemus, atque sancimus, ut perhennibus temporibus ad portam monasterij in alimoniam pauperum atque hospitum detur. Cetera autem omnia ad stipendia monachorum ibidem deo famulantium proficiant in augmentis. mercatum quoque ibidem habendum una propria cum moneta. Sicut a pio genitore nostro illis traditum comperimus. ita et nos domna augusta genitrice nostra interpellante, ipsis ad supplementum hereditario iure concedimus. quatenus ipsos seruos dei iugiter inibi deo deseruientes pro nobis et stabilitate regni nostri a deo nobis collati. eiusque misericordia per immensam conseruandi misericordiam iugiter dei exorare delectent. Et ut hec auctoritas nostris futurisque temporibus duo protegente ualeat inconuulsa manere. manu propria nostra subter firmavimus. anuloque corroborari precepimus.

Signum domni Otthonis gloriosissimi Regis. Hildiboldus episcopus cancellarius vice Willigisi archicapellani notaui. Data XIII. Kal. septemb. Anno dnice. incarnat. D. CCCC. LXXXV. jnd. XIII. Anno uero Regni tertij Otthonis secundo. Actum nouiomagij feliciter in dei nomine amen.

---

91. [1]

J. n. s. c. i. t. Ottho (III) diuina fauente clementia imperator augustus. Omnium fidelium nostrorum petitiones iuste et rationabiliter auribus nostre serenitatis infusas oportet implere presertim tamen eas quas pro utilitate ecclesiarum sibimet commissarum nobis suggerunt, quia deum nobis inde remuneratorem promereri eosque ob hoc deuotiores in nostri permanere credimus obsequio. Quocirca nouerit omnium fidelium, nostrorum presentium scilicet et futurorum industria qualiter ste. jndensis ecclesie monachi nostram adeun-

---

1) Anno 997.

tes serenitatem nimium postulabant, quo priuilegium sibi abbates inter se eligendi tam a pijssimo genitore nostro quam a ceteris predecessoribus nostris regibus uel imperatoribus hactenus concessum nostre renouationis auctoritate roboraremus. Quorum petitioni gratanter annuentes eo quod temporale commodum eterne remunerationis gratia diuina inspiratus illuminatione nihili penderat. Lantfridum uenerabilem uirum antenominato prestituimus pastorem loco, priuilegium etiam quod predecessorum nostrorum temporibus obtinuit per nostram corroborationis auctoritatem firmauimus. Ea quoque ratione ut antedictum monasterium omnisque illa sancta familia nisi regie uel imperiali potestati sub obsequio seruitutis subderentur. neque beneficiario iure alie cedere potestati. Post decessum uero abbatis prescripti Lantfridi, siquis inter eos aptus reperitur, qui eis preesse ac prodesse sciret secundum institutam normam sibi eligere liceret abbatem, nullaque potestas absque consensu et uoluntate eorum, monachum quempiam exquolibet monasterio in presignato loco pro aliqua occasione committeret. unde inpostmodum aliqua oriretur dissensio, ut autem hoc nostre auctoritatis preceptum nostris et successorum nostrorum temporibus ad nostram eorumqe anime saluationem iugiter maneat inconuulsum, manu propria subter firmantes anuli nostri impressione subter signauimus.

Signum tertij Otthonis magni et gloriosissimi jmperatoris augusti. Hildebaldus episcopus, uice Wiligisi archiepiscopi recognouit. Data V. jdus aprilis. Anno dnice. incarnat. D CCCC. XCVII. jndict. X. anno uero tertij Otthonis regni XIIII. jmperij autem eius I. Actum aquis grani feliciter amen.

---

92. [1]

J. n. s. e. i. t. Heinricus puer gratia dei Romanorum Rex augustus. Notum sit omnibus cristi fidelibus tam futuris quam presentibus. qualiter Vdo episcopus Tullensis et Winricus abbas jndensis commutationem fecerunt de ecclesiarum suarum bonis auctoritate et licentia domni patris nostri Heinrici Roman. jmperatoris augusti. Dedit scilicet ipse episcopus Tullensis et aduocatus eius Arnolphus super altare sti. Cornelij tres mansos cum uineis ad decem carratas uini in pago maguntiacensi. uidelicet Arenheim nomine in possessione loci et prebendam fratrum absque hereditario iure et contradictione omnium hominum, dedit similiter in ipsa maguntia residentem hominem unum nomine Ruothardum cum domo et omni bono, quod eo die uidebatur habere dedit jtem ipse episcopus et comes sigebodo frater et aduocatus capitis eius allodium suum Grusnuthis nomine in hasbanio iuxta monasterium sti. Trudonis uidelicet ecclesiam cum integra terminatione ipsum allodium integrum cum familia. terris cultis et incultis. molendinis. campis. siluis. aquis. aquarumue decursibus. liberum ab omni communione et impedimento adiacentium terrarum. Econtra dedit abbas jndensis bonum ecclesie sue. quod habebat ante castellum Tullense et quicquid habebat in eadem regione. quod ad ecclesiam sti. Aniani uidetur adhuc pertinere videlicet cum duabus ecclesijs. uineis. terris. cultis et incultis. molendinis. siluis. aquis. aquarumque decursibus absque contradictione alicuius. Huius commutationis traditio uel uestitura facta est ante coloniens. archiepiscopum Annonem juliaco. Bonum episcopi tradidit comes Sigebodo frater eius et advocatus ecclesie sue Herimanno comiti advocato sti. Cornelij. jtem bonum sti. Cornelij tradidit ipse comes Herimannus episcopi precepto. Miloni eius militi in loco advocati. Testes sunt Herimannus comes palatinus. comes Euerhardus. comes Herimannus et filij eius. comes Vnruoch. comes Sigebodo. comes Gerhardus. jtem comes Gerhardus. comes Lutharius. liberi multi. Hugraninus. Adelbero. Gerlacus. Theodoricus mile. Arnolphus folcuininus at alij multi. Hanc cummutationem laudamus,

---

1) Anno 1064.

et traditionis descriptione sigilli nostri impressione confirmamus. Et ut firma permaneat regia nostra auctoritate precipimus.

Signum domni Heinrici quarti Regis. Sigerhardus cancellasius uice Sigifridi archicancellarij recognoui. Data XVII. Kal. may anno dnice. incarnat. millesimo LXIIII. jndict. II. Anno autem ordinationis domni Heinrici quarti Regis VIIII. Regni uero VIII. Actum Leodio feliciter amen.

---

93. [1]

J. n s. c. i. t. Notum sit cunctis christi fidelibus tam futuris quam praesentibus, quod Pius Romanorum jmperator Ludowicus adeo honorifice et tam magno dilectionis studio jndam constituit, ut non solum in ea nobile templum à sua nobilitate constitutum salvatori et sancto Cornelio consecratum diversitate beneficiorum et hominum ditaret, et magna libertate nobilitaret, verum etiam omnes cuiuscumque sint conditionis homines ad sanctum Cornelium pertinentes hac libertate nobilitavit, quod eos sua Regali potestate ubique locorum in Romano jmperio ab omni genere Thelonei absolvit. contigit autem ex antiquitate temporis, quod Fugelo magnae discretionis homo coloniensis civitatis honestus Thelonarius sub archiepiscopo secundo Arnoldo praedictorum jndensium Thelonei libertatem tunc Regaliter a Pio Rege, ut praedictum est, et institutam, et proprio sigillo suo in perpetuum firmatam non ex industria nitebatur infringere, sed quadam negligentia, quae sepe accidit hominibus ex scriptorum penuria, quia huius libertatis memoria non fuit scriptis commendata. Hoc audito nobilis abbas Anno super hoc facto queremoniam fecit jmperatori Fritherico. qui super eundem locum Regalem praepotens fuit advocatus. jnde vero Rex commotus praecepit archiepiscopo sub obuentu et dilectionis suae et gratiae, ut abbati et suis hominibus digne et secundum tenorem iustitiae satisfaceret et eorum Thelonij libertatem, quam a multis Regibus in quieta possessione inconcussam hactenus obtinuerunt non infringeret. sed eandem per sententiam judicis astringeret. et scripto in sua civitate faceret ad notitiam omnium civium reformari. archiepiscopus vero totius suae civitatis senatu convocato et melioribus de civitate et alijs, qui erant praecipui et sanioris consilij astantibus cepit diligenter discutere. si illi de jnda quid juris in Theloneo in sua civitate sibi et suo debeant Thelonario, tandem super hac causa diu ventilata Heinricus unus de senatoribus et in omni legalia et politica scientia probatus a summo judice consultus judiciaria sententia omnes supradictos ab omni Theloneo iudicavit esse liberos, alijs senatoribus et eorum confratribus idipsum approbantibus. Vnde praedictus abbas coloniensibus tam pauperibus quam diuitibus, sed praecipue senatoribus suam exhibuit praesentiam. Et ut hoc quod judicis sententia est adiudicatum perpetua firmitudine habeatur roboratum secundum institutionem civilis juris et eorum consuetudinem eis omnibus sui juris presoluit testimonium. Huius rei testes sunt Hermannus advocatus Voghelo Theolenarius, Hermannus comes. Richolfus advocatus. Gerhardus albus, Hermannus camerarius Martmannus Hoier. Henricus. Gerhardus niger. Richolfus de novo foro. Godefridus filius Volsuinde. Hermannus filius Razonis. Godefridus de Stavera. Richolfus de sancta Brigida. Daniel et frater eius Bruno Malbodo. Marcman Lembichin. Ludolft Grin-Emunt. Franco albo de sancta cecilia. Henricus comes. Henricus filius Hermanni. Karolus Vogelo, et omnes scabinorum fratres et qui sanioris sunt consilij in coloniensi civitate. Haec acta sunt anno dnice. jn-

---

1) Anno 1165.

carnat. M. C. LV. quarta Epacta. XV. jndict. Victoriosissimo Rege Fritherico Regnante et Archiepiscopo Arnoldo secundo episcopatum ste. colonien. ecclesiae feliciter gubernante.

Jn quorum omnium et singulorum, fidem et testimonium praemissorum praesentes litteras sive praesens publicum transumptum instrumentum exinde fieri et per notarios publicos infrascriptos subscribi nostrorumque sigillorum jussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum in vrbe aquensi in aedibus decanalibus dictae Ecclesiae beatae Mariae infra eiusdem Ecclesiae emunitatem sitis sub anno dni. 1540 jnd. 13. die 18 mensis Decembr. Pontificatus smi. in Christo Patris et dni. nostri Pauli divina providentia papa tertii Anno septimo. Praesentibus ibidem honorabili valido honestisque viris dno. johanne de Hanen presbitero colonien. dioc. Wilhelmo de Leeck armigero, Ludolpho de Lintzenich et jacobo fabro laicis colon. et Leod. respective diocesium testibus ad praemissa vocatis et rogatis.

Et ego Franco Berchem clericus colon. dioc. publicus sacra jmp. aucthorit. Notarius etc. etc. una cum discreto viro joh. Menneken de jserloen Notario publico etc. etc. etc.

LUDOVICUS III. germaniae Rex confirmat donationem villae Gressenich per patrem suum Ludovicum II. monasterio jndensi. 877. [1]

94.

J. n. s. e. i. t. Ludovicus diuina fauente gratia Rex, si igitur locis sanctorum sacratissime deo dicatis beneficia largimur plurima, petitionibusque ibidem deo iuge famulantibus assensum prebemus, et nobis apud remuneratorem dominum repropitiari domino liquido credimus, et interventione sanctorum regni nostri, nostrorumque stabilitatem posse accumulari non ambigimus. Quocirca comperiat omnium sanctae dei ecclesiae nostrorumque fidelium presentium sive futurorum sagacitas, quia ob amorem dei omnipotentis et reverentiam sanctorum ejus seu ammonitionem fidelis nostri Rodradi abbatis, largimur res proprietatis nostrae monasterio indensi constructum in honorem s. salvatoris, vnde et praedictus Rodradus rector esse videtur, villam juris nostri nuncupantem Crusciniacum cum omnibus mancipiis, et rebus ibidem aspicientibus, unde et hanc nostram auctoritatem fieri jussimus, per quam firmamus atque transfundimus supra taxatas res praedictae cellulae s. salvatoris cum omnibus appenditiis, hoc est cum mancipiis utriusque sexus, cum terris, silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, quatenus in stipendiis fratrum ibidem deo famulantium ceterisqus necessitatibns, quae hactenus fiscus noster exegit ammodo augeatur, atque a rectoribus ipsius matris ecclesiae praeordinetur, seu exigatur, nullo nostro judicio contradicente. Et ut haec auctoritas largitionis nostrae inconvulsa valeat permanere, manu nostra subterfirmavimus, et anulo nostro eam subterjussimus sigillari.

Signum domni. Ludowici serenissimi regis.

Geberhardus cancellarius ad vicem Suitberti archicapellani recognovi.

Data idibus martii anno 1. regni Ludovici serenissimi regis in orientali Francia. indict. X.

Actum Tribura in dei nomine feliciter. Amen.

---

1) Martene l. c. T. I. pag. 202.

Mulier Volburgis assensu mariti sui Godeberti dat Abbatiae s. Cornelii jndensis vineam in Drotenshusen. 1135.

95.

In nomine dni. salvatoris nostri ihesu cristi. Notum sit omnibus fidelibus. tam futuris quam presentibus. quod ego Volburgis humilis ancilla cristi. uolens aliquam bonam memoriam mei apud seruos dei relinquere. et de rebus quas michi dedit dnus. ipsum heredem facere assensu. dilecti mariti mei Godeboldi. uineam quam habebam in uilla Drotenshusen nomine Gere. ad monasterium quod est constructum super jndam fluuium in honore sanctorum martirum Cornelii et Cipriani. in usus fratrum ibidem deo seruientium tradidi. sed dum aliqui ex propinquis meis conquerentes se exheredari. uoto meo cepissent obluctari. fratres predicti monasterii datis tribus marcis aduocato. et quatuor eisdem affinibus meis. obtinuerunt ut uoluntario et libenti animo exfestucarent quicquid in ipsa uinea putabantur habere iuris. et deinceps sine molestia alicuius contradictoris. in liberam possessionem cederet ecclesie ingenue libertatis. Actum anno incarnationis dnice. M. C. XXXV. jndictione XII regnante Lothario rege cristianissimo et catholico. Alberto archiepiscopo mogontino. presente dno. Annone. eiusdem ecclesie abbate. Testes interfuerunt. Walterus prepositus. Walbertus aduocatus. Gunterus et Embrico frater eius. itemque Embrico. Bertolfus de monte sti. Gengulfi. Heinricus de Seelcheim. Rado de Schuse et omnis familia curie. Drotenshusen. †. Ex originali.

Siegel des Abtes in weissem Wachse der Urkunde aufgeheftet, aber beinahe ganz abgefallen.

CAROLUS crassus donat stabulensi monasterio fiscum Blandonium etc. 882.

96.

In. n. s. e. i. t. Carolus divina ordinante providentia imperator augustus. dignum est, ut imperialis sublimitas sacerdotum ac servorum Dei utilitatibus tanto benignius ac libentius faveat, quanto eos in divinis rebus studere et moribus concordari perspexerit. jdcirco omnium sanctae dei ecclesiae nostrorumque fidelium, praesentium videlicet et futurorum, noverit industria, quia Antonius venerabilis episcopus per precatum Liutberti Moguntiacensis sedis archiepiscopi, deprecatus est nostram celsitudinem, pro quibusdam fratribus sibi commissis ex monasterio quod vocatur stabulaus, qui ob Dei omnipotentis amorem nostramque fidelitatem pignora sanctorum a predecessorum nostrorum prudentia Aquis recognita cum thesauro ejusdem fideliter reservaverunt, et ad nos absque ulla diminutione detulerunt, ut concederemus eis quemdam fisculum nostrum. Blandonium nomine, qui est in pago Leuvensi, cum capella et pertinentiis ejus, mansos sediles XXXII. serviles XII. capellam etiam ex Bratis, quam olim se habere scriptis professi sunt ad restaurationem ecclesiae, quae est in honore Petri apostolorum principis dicata, ubi etiam agius requiescit Remaclus, per nostrae auctoritatis praeceptum confirmare dignaremur. Nos quoque postulationibus illorum libenti animo aures servitutis nostrae accommodantes. concedimus eis juxta postulationem illorum ob amorem domini et salvatoris nostri supradictum fisculum cum capella et pertinentiis suis, capellam quoque suprafatam ex Brattis ad luminaria et restaurationem ecclesiae antepraedictae. Et ut audentiores et promptiores in Dei ac nostro parati sint obsequio, et ut pro nobis et praedecessoribus nostris studiosius delectet orare, jussimus de supradictis rebus hoc nostrae auctoritatis praeceptum ascribi, per quod decernimus atque omnino jubemus, ut nullus fidelium nostrorum, qui supradictam abbatiam in beneficium habuerit, vel alia aliqua judicialis potestas praedictos fratres de suprafatis rebus inquietare praesumat, nec in alios

convertat usus. Et ut hoc nostrae largitatis concessu futuris temporibus ab omnibus diligentius observetur, manu propria nostra subscribentes, et anulo nostro subtersigillari jussimus.

Signum domni Caroli serenissimi imperatoris. Waldo cancellarius ad vicem Luithwardi archicancellarii recognovi. Data idus Novembris anno dominicae incarnationis DCCC. LXXXII. indictione XV. anno vero piissimi Karoli quarto. Actum in Wormatia civitate in nomine Christi feliciter. Amen.

Ex Martene et Durand Coll. ampl. T. II. pag. 31.

Copia prime partis donationis de Bacanges facte monasterio s. jacobi Leodien. Anno 1134. *In pergameno conscripta.*

97.

J. n. s. e. i. t. Lotharius dei gracia tercius Romanorum imperator. augustus. Sicut imperiali magnificentia nobis a deo concessa ceteris eminencius excellimur et dignamur. ita nos concedet ei qui rex regum est deuocius inclinari et obtemperare. et facultates ecclesie sue iura et possessiones imperiali cure contra cuilibet male potentis violenciam et persuasionem tueri et defensare ac nostri nominis auctoritate in perpetuum communire. Quapropter sicut presentibus ita et futuris perspicuum esse cupimus, quod Widichinus homo nobilis de Sualemberg castro in Saxonia veniens ad curiam aquisgrani in epiphaniam dni. tradidit deo et beato jacobo in Leodio per manum Arnulphi comitis de Los aduocati eiusdem ecclesie sti. jacobi possiderat in villa Bacenges superjechoram [1]) medietatem scilicet eiusdem ville, ecclesie et allodij. in familijs. in agris. in pratis. in pascuis. in cultis et in incultis. in aquis. in molendinis. et omnibus appendicijs eodem iure. et eadem penitus integritate. qua ipse possederat per successionem legitimam ex parte matris multis diebus vite sue. nemine huic traditioni contradicente. aduocatus autem eiusdem allodii non precariam. non pernoctationes in eo faciat. nulli eam aduocationem beneficare audeat. loco aduocati neque intret neque exeat. sed si inuitatus fuerit ab abbate illuc pro aliquo placito. de quo tunc coram eo abbas placitare voluerit. tercium denarium solummodo habeat. quum autem hec traditio facte est. presbijter. qui tunc illi ecclesie deseruiebat. duas partes decime tenebat quas mater eiusdem Widichini in vita sua tantum ei concesserat. sed nouerint alii. qui futuri sunt illius ecclesie presbijteri. solum terciam partem decime in prebendam se post illum habituros esse. duas autem partes ad ecclesiam sti. jacobi et participes eius esse reuersuras. que omnia ut inconcussa permaneant cartam istam sigillo et nominis nostri impressione firmauimus. jndicentes omnibus auctoritate Romani imperii. ut nulla potestas ecclesiastica uel secularis alicui de hijs aliquid infringere uel immutare volenti dum prefigat aut eum audiat. qnia et hoc iudicatum est ante nos. ut quod in presencia Romani imperatoris legitime factum. et eius fuerit sigillo legitime confirmatum. ab omnibus aliis potestatibus semper maneat incommissum. Huius legitime traditionis tot tantique testes affuerunt. quorum nomina subscripta sunt. Alexander episcopus Leodien. Hugo prepositus aquisgrani. Reimboldus prepositus sti. johannis in Leodio. Nicholaus prepositus sti. Dijonisii. Waleramus Dux. Otto comes polatinus. Bernardus vicedominus. Gosswinus de Falomment. Riquinus de Waberg et alii multi. de familia ecclesie. Franco de sch. Eurardus de sto. jacobo. Hellinus de foro. Fideiussores. Engelbertus de Bachenhem. Gerardus de Baennwes. anno dnice. incarnationis M. C. XXXIIII. ind. XII. anno autem primo imperii dni. Lotharii tercii Romanor. imperatoris augusti. Actum aquisgrani feliciter in nomine dni.

---

1) Jecker ergiesst sich bei Mastricht in die Maas.

98. [1]

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis, Lotharius Dei gratia tertius Romanorum Imperator Augustus, quia justitiam et pacem diligimus, voluntatis nostrae est ut Ecclesiae Dei ea, quae sibi legitime sunt tradita, pacifice possideant, et in possidendo nihil molestia nihil contradictionis sustineant, quapropter notum sit omnibus tam futuris quam praesentibus, quod Waltherus cognomento Teutonicus vir ingenuus ad extrema veniens mandaverit Henrico nepoti et Heredi suo, ut apud Stum. Jacobum in Insula Leodii corpus suum sepeliret, et quidquid possessionis et juris habebat in duabus villis hagrin scilicet (et) Urchtich in familiis, in vinetis, in agris, in fundis, in pratis, in pascuis, in foresto etiam quae communis erat cum circummanentibus, eidem Ecclesiae, pro anima sua traderet. post Cujus obitum idem nepos Avunculi sui mandatis fideliter obtemperans tradidit eidem Ecclesiae per manum Arnulphi Comitis de Los Advocati ejusdem Monasterii S. Jacobi jam dictam omnino possessionem in hagrin et Urctich ea libertate et jure quo praedictus avunculus suus possederat in ultimo suo fine, et ita scilicet ut utrumque allodium a cujuslibet potestatis placito vel districtione liberum potius esset in immune, quorum praediorum advocationem nec sibi retinuit, nec cuiquam constituit, sed liberum ab omni jure alieno sive advocato tradidit, nec multo post idem Henricus, cum frater suus Udo ex hac vita migrasset volens aliquid praedictae superaddere eleemosynae tradidit eidem Sto. Jacobo per manum ejusdem Comitis Arnulphi triginta Stapl. in villa Emgrandenrode cum communi foreste et quodam serviente Waltero ejusque Conjuge et filiis et filiabus quae scilicet ejusdem fratris sui defuncti debuerant esse ex materna Successione ea sane confirmata conditione, ut tam piam suae liberalitatis memoriam ipse, Uxor, filii, filiaeque ejus tum etiam propinqui et amici sepulturas habeant, et eorum celebrentur Anniversaria apud eandem Apostoli Ecclesiam. sciat autem hujus allodii advocatus quemcunque Abbas sibi constituerit, maldrum avenae ab una quaque domo solummodo annuatim sibi solvi debere non pernoctationes, nec precarias ibi habere, neque intrare neque exire sibi licere, nisi cum Abbas aut ejus nuntius voluerit advocare, neque tunc vel obsonium vel de aliquo placito aliquid posse exigere. harum traditionum primae scilicet de duobus allodiis hagrin et Urctich et secundae de tertio Engranrode, testes affuerunt, quorum nomina infra subscripta sunt. Walramus Dux, Lambertus Comes de Claromonte, Gerardus Comes de juleto, Gosuinus de Faucoumont, Godefridus de Asche, Wigerus Advocatus Sti. Lamberti, et alii multi. De familia Ecclesiae: Wedericus de Prato, Avelinus, Everardus Adelardus et alii multi, ego igitur Lotharius gratia Dei tertius Romanorum Imperator Augustus cum pascha Aquisgrani celebrarem honorifice postulatus ab Arnulpho Comite de Los et fratribus ejusdem Ecclesiae Sti. Jacobi praedictas traditiones ut scriptae sunt inspexi et approbavi signo sigilloque meo contra omnem in perpetuum controversiam communivi, astantibus videntibus et id ipsum approbantibus multis summisque regni mei primoribus, quorum nomina ad ipsas corroborandas infra scripta sunt. Bruno Archiepiscopus Coloniensis, Adelbero Episcopus Leodiensis, Andreas Episcopus Ultrajectensis, Warnerus Episcopus Monasteriensis, Walerannus Dux, Cunrardus Dux, Albertus Marchio, Otto comes Palatinus, Arnulphus de Cleves Comes, Gerardus de Juleto Comes, Gosuinus de Faucoumont, Gerardus de Hostat et alii multi, anno dominicae Incarnationis MCXXXVI indictione XVI. anno autem imperii Domini Lotharii Tertii Romanorum Imperatoris Augusti tertio, Actum Aquisgrani feliciter in nomine Domini

---

1) Allg. Arch. v. Ledebur I. c. 11r Bd. pag. 150.

De pacto decimae in Richterchijn. 1173. [1])

99.

Notum sit uniuersis aquen. Ecclesie fratribus tam futuris quam presentibus quod philippus miles a dno. Stephano. Decano ex consilio fratrum interrogatus de ratione et de pacto decime que est in Riterka quo uidelicet tenore ipse eandem decimam a predecessoribus ecclesie canonicis per aliquot annos sibi concessam optinuerat confessus est ac respondit se solummodo eundem pactum ad terminum uite sue id est quamdiu uiueret recepisse quod cum in pleno conuentu uentilaretur eius assertioni fratres quam ipse philippus testes sue conuentionis asseruate minime contradixerunt uerumtamen sciendum est in eadem disceptatione pretitulatum philippum ad hoc spontanea uoluntate deuenisse ut inde antea XVI. modios tritici annuatim persoluant, deinceps XX. modios tritici se soluere premiserit et nunc XIIII. modios siliginis soluant deinceps XX. modios siliginis annuatim se soluere spopondit pactus ergo philippi annualis constat in uiginti modijs tritici et XX. modijs siliginis. Preterea sciendum est quod de quodam membro eiusdem decime quod dicitur Crombac soluit abbas Rodensis annuatim fratribus III. modios tritici et tres modios siliginis. Est igitur summa pacti de decima Riterka tam de philippo quam de abbate XXIII modii tritici et XXIII modii siliginis. Promisit eciam philippus ex condicione legitima pactum suum annuatim soluere in granario fratrum usque ad festum sancti Andree quod si neglexerit proxima die obedientia priuari poterit nisi fratrum pacientia intercesserit. jdcirco eciam quod philippus post patrem suum aquensi ecclesie in prefata decima utilis extiterit et idcirco quod uxor eius Heijlwidis ad eandem decimam de proprio XXX solidos contulerit. recognouerunt fratres philippum et uxorem eius ab aliquot retro annis firmitatem recepisse. acta sunt hec anno dnice. jncarnationis millesimo centesimo LXXIII in capitulo aquen. et fratrum conuentu, coram Stephano. Decano Richero sti. Adalberti preposito et aquen. canonico. Werenberto magistro scolarum. Heinrico cantore Gerardo Vicedecano Euerwino et Wallerando Dijaconibus et ceteris ecclesie canonicis jnterfuerunt eciam ijdonei testes laici scilicet arnoldus villicus. Gerardus miles filius Tiboldi. Seuerinus miles.. Gerardus paruus.. Helijas filius philippi.. Vdelo scultetus trabane.. Heinricus cognatus Vdelonis. Bertholphus claustrarius.

Annales aquenses. [2])

100.

M. I. Otto tertius in parlermo obiit.
M. II. Heinricus II. ordinatur in regem VII. jdus junii.
M. XXIV. Heinricus jmp. obiit. Cunradus successit.
M. XXIX. Heinricus puer filius Cunradi regis in pascha unctus est in regem aquisgrani.
M. XLVII. Heinricus III. fit jmperator Rome in natale domini.
M. LIV. Heinricus puer filius heinrici jmp. unctus est aquisgrani in regem in dedicatione ecclesie.
M. LVII. Obiit Heinricus III. jmperator.

---

1) Ex Chartul. Eccl. B. M. V. Aquisgr.

2) Mitglieder des hiesigen Münsterstifs, die im 11ten und 12ten Jahrhundert lebten, haben dieselben auf Pergament geschrieben. Das Manuscript befand sich im Archiv des Stifts, hat sich aber bei der Occupation Aachens durch die Franzosen verloren. Zum Glücke hatte der kritische Geschichtforscher Ernst, Pfarrer zu Afden bei Herzogenrath es früher abgeschrieben, nach dessen Copie es hier abgedruckt ist.

M. LXV. Cometa visa est versus angliam, quam postea vastauit Willemus bastart.

M. LXXX. Bellum Heinrici jmp. contra Rodulfum perfidum et victus cecidit Rodulfus.

M. LXXXVII. Cunradus filius Heinrici jmp. aquis unctus est in regem. eodem anno obiit mater eius Berta jmperatrix.

M. XCIII. Mortalitas magna facta.

M. XCVI. Godefridus dux cum exercitu christiano jhrlm. proficiscitur.

M. XCIX. Heinricus filius Heinrici quarti jmps. in Epiphania domini aquis unctus est in regem Cunrado fratre eius deposito eodem anno jherosolen capta est in diuisione apostolorum.

M. C. Godefridus dux Lotharingiorum et rex jherosolimitanorum obiit, cui Balduwinus frater eius successit.

M. C. I. Lemborch obsessum et captum ab jmp. Heinrico.

M. C. II. Heinricus jmp. iuit in flandriam cum exercitu.

M. C. III. Robertus comes flandrie jmperatori reconciliatur. ligio facta ei fidelitate.

M. C. V. Feria vi. ante natale dni. Heinricus jmp. traditur a filio suo confluentie.

M. C. VI. jmperator manu sua misit imperium Engelheim, eodem anno visa est cometa bellum quoque factum est vesalie hinc ab Heinrico V. Rege; illinc à fidelibus patris sui. post hec obsessa est colonia ab ipso rege. obiit piissimus Heinricus IIII. jmperator (alia manu supra VII. jd. augus. Leodii) successit filius eius Heinricus V.

M. C. VII. Godefridus dux Louaniensis aquas inuasit et ducem Heinricum expulit.

M. C. IX. Sigefridus comes palatinus à rege capitur.

M. C. X. Heinricus rex Romam cum exercitu proficiscitur.

M. C. XI. Bellum factum est Rome, hinc à rege Heinrico illinc à fidelibus Paschalis pape. statim ab eodem papa in jmperatorem consecratur.

M. C. XII. terre motus factus est sabbato sancto hora VI.

M. C. XIII. sigefridus comes palatinus interficitur.

M. C. XIV. Fridericus Archieps. rebellat Heinrico jmp. bellum quoque factum est Andrenackeo a fidelibus jmperatoris et Friderici archiepi.

M. C. XXI. Terre motus factus est IIII. jd. Decembris hora tertia sabbato.

M. C. XXII. jn pentecosten habita est curia apud inferius Traiectum. ubi facta seditione multi capti sunt ab jmperatore, pauco occiso. ipso anno facta est reconciliatio regni et sacerdotii.

M. C. XXV. obiit Heinricus V. successit Lotharius. obiit Calixtus papa. successit Honorius. fames valida facta est.

M. C. XXVIII. Godefridus dux Louan. deponitur, cui Walleramus eius terre superponitur.

M. C. XXIX. Bellum factum est apud stum. Trudonem inter Alexandrum epm. Leod. et Godefridum Louaniensem.

M. C. XXXI. jnnocentius papa synodum celebrauit Leodii.

M. C. XXXII. Lotharius rex cum exercitu Romam proficiscitur.

M. C. XXXIII. Obscuratus est sol IIII. Non. Augusti in meridie, et tenebre facte sunt. Stelle quoque apparuerunt et terra rore maduit.

M. C. XXXV. jn consilio Leod. heretici deprehensi sunt. quorum unus viuus est combustus.

M. C. XXXVI. Lotharius jmp. cum exercitu jtaliam petiit.

M. C. XXXVII. Loth. jmp. in expeditione et confinio alpium obiit.

M. C. XXXVIII. Cunradus IIII. jdus martii in media XL. unctus est in regem aquisgrani. colonienses repugnant Arnoldo archiepo. Wallerannus dux obiit.

M. C XXXIX. jnnocentius papa cum infinita multitudine episcoporum et abbatum Rome in XL. synodum celebrauit. Cunradus quoque rex cum exercitu Saxoniam adiit, sed pace composita rediit.

M. C. XLI. Terre motus factus est VIII. Kal. maii. Albero quoque secundus Leod. Epus. millun castellum. dolo multis annis ecclesie subreptum meritis s. Lamberti non viribus superauit et recepit.

M. C. XLII. Saxones Cunrado regi in Franchvorth reconciliati sunt.

M. C. XLIV. Hemesberch captum est et combustum.

M. C. XLVI. Eames maxima et quod inauditum ante fuerat modius aquensis tritici venditur XXV. solidis. aquis (hic) irrecuperabiliter concrematum est.

M. C. XLVII. Heinricus puer X. annorum filius Cunradi regis in media XL. scilicet III. Kal. aprilis unctus est in regem aquisgrani. ipso anno idem Conradus rex Romam et Luthowicus Langrauius cum multitudine innumerabili profecti sunt jherosolam VI. Kal. novembris fuit eclipsis solis ab hora III. usque ad VI.

M. C. XLVI I. Eugenius papa hyemauit Treuiris et in media XL. synodum celebravit Remi.

M. C. XLIX. Cunradus rex rediit de peregrinatione.

M. C. L. sterilitas fructuum et vini hic fuit aperrima. longa. obiit Heinricus puer XIII. annor.

M. C. LI. Fames prevalida.

M. C. LII. obiit Cunradus rex, succedit Friedericus filius fratris eius unctus aquis in media XL. scilicet VII. jdus martii.

M. C. LIV. Fridericus rex profectus est Romam cum exercitu.

M. C. LV. Fridericus rex factus est jmperator Rome. repatriauit.

M. C. LVI. Fridericus jmp. duxit uxorem Beatricem de Burgundia.

M. C. LVII. Fridericus colon. archieps. Randenrode destruxit.

M. C. LVIII. Frider. jmp. manu validissima jtaliam addiit. mediolanenses sibi rebelles subiugauit.

M. C. LX. Archiepiscopus moguntinus à ciuibus occisus est.

M. C. LXII. Mediolanum captum est ab jmp. Friderico et destructum. fames prevalida secuta est eodem anno.

M. C. LXIII. Exidium moguntie factum est ab jmp. Friderico. heretici combusti sunt colon. a quibus mulier vna se dedit precipitem in ignem nullo cogente. domus militum destructe sunt aquis jussu jmper. Friderici quia leserant canonicos ste. Marie Amelium et Amelium et Lambertum eius ecclesie.

M. C. LXIV. Castrum reedificatum est in Rinekke Conradus comes palatinus minabatur Lotharingiis bellum et oppressionem quibus paratis ad resistendum sibi viriliter idem velut angue viso cessauit. corpora trium majorum translata sunt coloniam.

M. C. LXV. natus est puer Heinricus apud Numegen filius jmp. Friderici.

M. C. LXVI. Facta est tranlatio sanctissimi Karoli jmperatoris. V. die post natale domini. [1]) eodem anno facta est expositio super Romanos

M. C. LXVII. occisi sunt Romanorum X. milia IIII. Kal. junii et pridie Kal. Augusti dnus. jmp. Romam potestatiue ingressus fecit Berrontinum electum ordinari et sequenti die facta est dna. regina imperatrix. eodem anno obiit colon. Archieps. Reinoldus et dnus. Alexander Leod. Eps. et Roden-

1) Caractere rubro.

burgensis dux bone indolis et dnus. Heinricus Lemburgensis sepultus est Rode et plures aquensium in predicta expeditione mortui sunt.

M. C. LXIX. XVIII. Kal. septembris unctus est filius Friderici jmp. nomine Heinricus in Regem aquisgrani.

M. C. LXXI. a Lemborgensi domino Henrico alatrones Wessenbergis cocti sunt aqua et tertius igne assatus et complices eorum perturbati cessauerunt.

M. C. LXXII. aquenses ab jmperatori commoniti iurauerunt in IIII. annis muro et menibus ciuitatem munire et munitus est mons Berenstein.

M. C. LXXIV. anno ab initio mundi VI. ccc. jmperator in pascha aquis coronatus est et filius eius et Imperatrix sub presentia nuntiorum salahdins. expeditis in Italia.

M. C. LXXVIII. facta concordia regni et sacerdotii in Venetia.

M. C. LXXIX. dnus. Imp. coronatus est Arelati. in magna gloria reuertens ab Italia.

M. C. LXXX. Philippus colon. archieps. in manu valida saxoniam intrauit et Halesleue obsedit et tota terra ducis Heinrici depopulata in triumpho victorie rediit. in Kal. augusti terre motus factus est magnus in quarta noctis vigilia.

M. C. LXXXII. Dux Heinricus ab Imperatore Friderico et archiepo. colon. et fidelibus regni potentiaretur. subiugatur. abiurato sibi ducatu saxonum et Bawarorum et omnibus feodis lacrimabili percussus sententia iussus est cum uxore et filiis exulare.

M. C. LXXXIII. Regi Heinrico iuratur expeditio contra Polones. et apud Erffordiam habito colloquio et congregatione celebrata. domo dissoluta autem viri nobiles militares plurimi subuersi sunt dnus. Frid. Imp. intrauit Italiam habiturus colloquium cum Lucio papa. Beatrix uxor eius Imperatrix mortua est. Cremenam Imp. reparauit.

M. C. LXXXIV. habita est curia solempnis moguntie in qua duo filii Imp. facti sunt milites Rex Heinricus et dux Fridericus principes a principio regi fidelitatem iurauerunt Imp. Petrum arborce iudicium in Sardinia regem coronauit.

M. C. XXXV. celebrata sunt nuptia apud mediolanum dni. Heinrici regis et dne. Constantie regine mortuus est Lucius papa cui successit Urbanus. Hubertus mediolanensis arschieps. Imp. terram cremonensium vastauit et castrum manefredum destruxit. rex Heinricus exercitum in Campaniam duxit et Romanas vastauit

M. C. LXXXVI. orte sunt inimicitie inter dnum. Imp. et colon. archiepm. Philippum. nunciata est captiuitas terre iherosolimitane et plurimi hominum cruce signati sunt. mortuus est Urbanus papa. cui successit Gregorius X. vix sebdomadibus apostolicus. cui successit Clemens.

M. C. LXXXVIII. habita moguntie solempnis curia in letare iherusalem colon archieps. Imperatoris gratiam interuentu principum recuperauit. Imp. Fridericus et filius suus Fridericus dux suenorum et multi principes et nobiles viri in eadem curia signaculum crucis acceperunt.

M. C. LXXXIX. Otto. milesensis marcio a filio suo captiuus teneatur. juratur matrimonium inter Fridericum ducem suenorum et filiam regis Ungarie. dnus. Fridericus Imp. cum multis terre magnatibus per Ungariam et Greciam in succursu iherosalimorum properauit. rex Heinricus in curia Wircenburg principes beneficia sub vexillis concessit. Wilhelmus rex Sycilie obiit.

M. C. XC. Ludricus Landgrauius Thuringie mortuus est apud Ackaron. Heinricus rex confederato sibi Philippo colon. archieps. colecto exercitu transalpinauit. nuntiata est mors Friderici Imp. qui habito longo prelio cum pagano et victo atque capto Geonio cum aquam fortissimam transnataturus intrasset, mortuus est.

M. C. XCI. Mortuus est papa Clemens, cui successit Celestinus. Imp. Heinricus Rome coronatur. Castrum tusculanum a Romanis destruitur. mortuus est dux sueuie Fridericus, cui frater Cunradus successit. Imp. Heinricus Apuliam intrat. Neapolis obsidatur. eodem anno facta est mortalitas inaudita theutonicorum in eadem obsidione. Philippus colon. archieps. ibidem mortuus est et dux Boemorum. Heinricus Imp. repatriauit.

M. C. XCII. Richardus rex anglie captus est a Lupuldo duce austrie pro cuius redemptione data sunt C. L. milia Heinrico Imperatori.

M. C. XCIII. Heinricus Imp. iterum collecto exercitu deuicto salerno et tota Apulia sibi subjugata, syciliam intrauit. et in die natali domini apud Panormam in regem Siclum gloriose coronatus est. Heinricus, Imp. Erenam filiam curse regis Grecie Philippo fratri suo commisit. cui etiam principatum capue donauit. Heinricus Imp. totam Tusciam et terram comitisse Mathildis Philippo fratri suo vexillari feodo concessit.

M. C. XCIV. Heinricus Imp. in Theutoniam rediit ducens secum captiuos, qui in mortem eius conspirauerunt, scilicet uxorem Tancradi cum filio et duabus filiabus et Margaritam principem piratarum et XVI. ex magnatibus tam Sycilie quam Apulie.

M. C. XCV. Heinricus Imp. apud Geilenhusen solempnem curiam celebrauit ubi duobus presentibus cardinalibus moguntinus archieps. et multi alii principes cum infinita multitudine populi cruce signati sunt.

M. C. XCVI. Heinricus Imp. tertio Apuliam intrauit Cristi peregrinis nauigium cum copioso apparatu preparari fecit.

Capitulare de ministerialibus palatinis, Caroli M. circa 800.

101.

Cap. I. Vt unusquisque ministerialis palatinus diligentissima inquisitione discutiat primo homines suos et postea pares suos, si aliquem inter eos vel apud vos ignotum hominem vel meretricem latitantem invenire possit. Et si inventus homo aliquis aut femina hujusmodi fuerit, custodiatur, ne fugere possit, usque dum nobis adnuntietur. Et ille homo qui talem hominem vel talem feminam secum habuit, si se emendare noluerit, in palatio nostro observetur. similiter volumus ut faciant ministeriales dilectae conjugis nostrae vel filiorum nostrorum.

II. Vt Ratbertus actor per suum ministerium, id est, per domos servorum nostrorum, tam in Aquis quam in proximis villulis nostris ad Aquis pertinentibus, similem inquisitionem faciat. Petrus vero et Gunzo per scruas et alias mansiones servorum nostrorum similiter faciant. Et Ernaldus per mansiones omnium negotiatorum, sive in mercato sive aliubi negotientur per christianorum vel judaeorum mansionari * * * * nostrorum eo tempore quando illi seniores in ipsis mansionibus non sunt.

III. Volumus atque jubemus ut nullus de his qui nobis in nostro palatio deserviunt. aliquem hominem propter furtum, aut aliquem homicidium vel adulterium, vel aliud aliquod crimen ab ipso perpetratum, et propter hoc ad palatium nostrum venientem, atque ibi latitare volentem, recipere praesumat. Et si liber homo hanc constitutionem transgressus fuerit, et talem hominem . . . . . fuerit, in collo ad mercatum portare debere . . . . . deinde ad cippum in quem idem malefactor mittendus est. Si autem servus fuerit, qui hanc nostram jussionem seve-

rare [1]) contempserit, similiter illum malum factorem in collo suo usque ad cippum [2]) deportet, et ipse postea in mercatum adducatur, et ibi secundum merita sua flagelletur. similiter de gadalibus et meretricibus [3]) volumus ut apud quemcunque inventae fuerint, ab eis portentur usque ad mercatum, ubi ipsae flagellandae sunt. vel si noluerit, volumus ut simul cum illa [4]) in eodem loco vapuletur.

IV. Quicunque homines rixantes in palatio invenerit, et eos pacificare potuerit et noluerit, sciat damnum quod inter eos factum fuerit, participem esse debere. Quod si rixantes viderit et eos pacificare non potuerit, et qui sint illi qui inter se rixantur cognoscere noluerit. ut hos indicare possit, similiter jubemus ut damnum quod inter eos commissum fuerit, in compositione communionem habeat.

V. Quicunque hominem undecunque ad palatium nostrum venientem receperit sive adduxerit, nec expellere curaverit, damnum quod ab eo fuerit in palatio nostro factum . . . . . (caetera ita obliterata et deleta sunt in codice Ms. ut legi nulla arte potuerint.) ex Baluzii Capit. Regum. francor. T. I. pag. 341.

Privilegium aureum Lotharii II. jmperatoris de anno 1137. *Abbatibus stabulensibus concessum.*

102.

J. n. s. e. i. t. Lotharius dei gratia Roman. jmperator augustus. Wibaldo Stabulensi abbati suisque successoribus in perpetuum. Cum omnium dei Ecclesiarum paci ac quieti et utilitatibus nostra imperialis sollicitudo ac potentia consulere debeat, tum maxime benignitatis et curae nostrae studium circa eas Ecclesias invigilare oportere credimus, quae ad imperium nostrum pertinent, et ut ita dictum sit nostro imperio cohaerent, quae etiam jugi et assiduo orationum suffragio nos et jmperium nostrum adjuvant, et in temporalibus jmperii administrationibus nostros et labores et expensas fideliter supportant. Quocirca stabulense monasterium à praedecessoribus nostris Regibus et jmperatoribus nobiliter constructum et magnis possessionibus ampliatum, multisque privilegiis magnifice honoratum et libertate singulari donatum, cum tanquam nostrum proprium arctius diligamus, et in omnibus juste opitulari volimus, praecipue tamen personam domni ac venerabilis abbatis Wibaldi, qui eidem coenobio regulariter praeest, praecipuo amore et familiaritate nostra dignam judicamus, cujus fides et devotio circa stabilitatem et honorem jmperii nostri in hac jlalica expeditione manifeste satis enituit, qui post multos labores et pericula, quae pro nobis et nobiscum in administratione nostri jmperii in Apulia fideliter pertulit, nobis redeuntibus in monasterio cassinensi à fratribus ejusdem loci et universo populo violenta et admirabili prorsus electione in abbatem raptus, et ad honorem et firmitatem nostri imperii remanens nostram celsitudinem petiit, ut stabulense monasterium (cujus curam ipse non deposuerat) et res ad ipsum pertinentes nostro imperiali privilegio munire et confirmare dignaremur, cujus petitioni piae et rationabili facilem assensum praebentes, jam dictum stabulense monasterium cum malmundario et omnibus prorsus appendentiis secundum instituta et praecepta regum, Sigiberti, Dagoberti, Theodorici, Childerici et aliorum, nec non jmperatorum Caroli, Ludovici et trium Otthonum, Cuenradi quoque et Henricorum quinque in nostram tutelam suscepimus,

---

1) i. e. servare.
2) i. e. carcer.
3) gadales et meretrices synonima.
4) i. e. illis.

ita videlicet, ut nunquam liceat alicui Regum vel jmperatorum eandem abbatiam cum omni integritate et advocatia omnium possessionum ejus ullo alienationis modo scindere a Regno vel aliud ei dominium imponere, vel alicui in beneficium aut in cambium dare, sed semper ad nostram nostrorumque successorum manum et servitium inconvulsa stabilitate permaneat, et libertate sibi collata pacifice potiatur, nullum theloneum, nullum pontaticum nullum transitum vel exitum, nullum denique publicum terra, aquave vectigal aut pensionem monachi sive ipsorum homines in nullo regni nostri loco persolvant, terminos banni Leugae secundum quod in antiquioribus privilegiis nominati et inscripti sunt, cum omni immunitate et comitatu suo, sicut hactenus eadem Ecclesia possedit, ita per succedentia tempora immobiliter obtineat. Sancimus etiam praedecessorum nostrorum more, ut malmundarium cum omnibus suis pertinentiis à Stabulensi nunquam divellatur, aut separetur monasterio, quod jam tertio temptatum est, sed judicio Principum legitime cassatum, et jmperatoriis privilegiis finaliter est decisum. Defuncto igitur per successionem abbate monachi utriusque loci stabularis in capitulum concorditer veniant, habeantque liberrimam facultatem secundum sti. Benedicti Regulam eligendi sibi abbatem, ea tamen praeponderante ratione, ut quia Beatus Remaclus utriusque Ecclesiae constructor et primus abbas stabularis quiescere, et locum illum malmundario sua sepultura et ordinatione abbatum praeficere voluit, stabulenses primam vocem in electione obtineant, et de stabulensi conventu (si digna fuerit inventa persona) abbatem eligant. Quod si nulla ibidem idonea persona (quod fieri posse non credimus) inventa fuerit, potius à Malmundariensi conventu, quam ab extraneis abbas eligatur. Caetrum si inter se nullam ad hoc officium personam aptam invenerint, liceat eis libere de alio quocumque regulari loco sine contradictione alicujus, abbatem eligere, et à nobis vel successore nostro regni more investitum, à Leodiensi Episcopo, cui nullum servitii genus vel hospitium seu prandium debet, consecrationem, et monachorum suorum ordinationem sine pretio aut ulla exactione accipere, advocatum à nostra manu accipiat, qui nobis exercitum et expeditionem, et quae ad ipsam pertinent pro summa ac debito sui beneficii faciat abbate, et suis omnibus super hoc quiescente, et nullam pro hoc nobis aut ipsi advocato redemptionem aut supplementum praestante. Qui advocatus si secundum à se advocatum ordinare voluerit, ille secundus Bannum à nostra manu accipere debebit. Plures autem advocatos in ejusdem abbatiae curtibus fieri nostro jmperiali banno perpetua censura interdicimus. Qui advocatus in curtibus et villis nullum hospitium, nullum placitum nullam prorsus exactionem debet habere, non freda non redibitiones exigere, non praecarias vel incisuras facere, non palefridos tollere, sed omnium rerum et culparum potestas et ordinatio, justitia et utilitas penes abbatem et monachos, et eos, quos ipsi ordinaverint libere tota consistat. Ubi vero abbas cum suis ad justitiam faciendam non sufficerit, si advocatus petitione abbatis (quia aliter nunquam debet) venerit tertiam portionem de his, quae ex illa dumtaxat justitia accrescent, habebit castellum Longiae cum toto montis corpore et utrisque vallibus et comitatu ad indominicatam abbatis manum et potestatem et ordinationem cum omnibus beneficiis et casatis, qui ad custodiam ipsius castelli pertinent, semper spectare et pertinere decernimus: nec in ipso castello aut in possessionibus ad ipsum pertinentibus aliquam habitationem vel potestatem advocatum habere permittimus. Quidquid eadem Ecclesia munificentia regum aut imperatorum vel religiosorum christianorum largitione obtinuit, tam in fundis quam Ecclesiis capellis decimationibus et omnibus eorum appenditiis et commoditatibus sicut hactenus possedit, sive illa quae deinceps justis modis obtinere potuerit, parva vel magna ubicumque locorum fuerint, sub nostrae tuitionis potestate immobiliter ei confirmamus, et maxime possessionem, quam Aquisgrani eadem habet Ecclesia id est domum indominicatam et capellam indominicatam et liberam et domos XXX in una parte viae XXV per ordinem et sine interruptione positas scilicet à domo illa, quae fuit Cameracensis Episcopi usque ad fossatum, in ea parte qua itur ad pontem Harduini, et in alia parte viae ante praefatam Capellam st. Aldegundis quinque domos et sex Bonuarios terrae,

